Annus XV. November 1901. N. 11.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

I.

1. *Festa dominicis diebus affixa transferri non possunt ad sequentes dies dominicos neque ad alios, accidentaliter impedita sint, vel perpetuo.*

2. *Repositio festi S. Ioannis Damasceni, impediti, et alii diei alicubi assignati, post extensionem ad Ecclesiam universalem, facienda est iuxta Rubricas a die sua.*

3. *Doxologia hymni, in concursu duorum festorum, D. N. et B. M. V., erit de quo Vesperae recitantur integrae.*

4. *Delatio parvae statuae pueri Iesu a Sacerdote cum velo humerali et umbella in processione interdicitur.*

5. *Usus canendi Missam conventualem post* Tertiam, *et peragendi processionem post* Nonam, *infra Octavam SS.mi Corporis Christi, probatur.*

TROPIEN.

R.mus Iosephus Fameli Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Ecclesiae Tropien., Kalendariorum Dioeceseon Nicoteren. et Tropien. redactor, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter proposuit dubia, pro opportuna solutione, nimirum:

I. Quum per Decretum n. **3637,** *Aretina,* d. d. 18 Iunii 1885, Officia propria B. M. V., aliquibus

Dominicis assignata, omittenda sint, quando impediantur; quaeritur: 1. An prohibitio translationis in alias Dominicas huiusmodi dies insequentes, intelligenda sit etiam quoad alios dies non dominicos liberos, ut neque in istos dies praefata Officia transferri queant? 2. Et *quatenus affirmative:* An in casu impedimenti perpetui quoad aliquam Ecclesiam, praedicta Officia dominicis diebus assignata, omittenda prorsus sint?

II. In his Dioecesibus festum S. Ioannis Damasceni celebrabatur die 13 Maii. At post Decretum n. **3734,** *Urbis et Orbis*, diei 19 Augusti 1890, qui harum Dioeceseon tunc Kalendaria ordinabat, hoc Officium, loco diei 27 Martii impeditae, reposuit die 29 Martii, prima insequente libera, iuxta Rubricas et Decreta. Quaeritur: Debetne in his Dioecesibus huiusmodi Officium praedicta die 29 Martii recitari?

III. In concurrentia duorum festorum, nempe Domini Nostri et B. Mariae Virginis, habentium conclusionem hymnorum propriam, quaenam erit retinenda et recitanda?

IV. Die 2 Februarii in Cathedrali Ecclesia Tropien. (alibi die Epiphaniae Domini) removetur imago seu parva statua Infantis Iesu a praesepe, et processionaliter defertur cum velo humerali et sub umbella per celebrantem ad Altare maius, ubi osculanda traditur Capitulo et Clero; atque finita functione cum benedictione SS.mi Sacramenti, et hoc in tabernaculo reposito, eadem imago per alium

Sacerdotem, item eodem ritu, qui servatur in deferendo SS.mo Sacramento, nempe cum velo humerali cum luminibus et sub umbella, transfertur ad aliud Altare, ubi fidelibus osculanda porrigitur; quaeritur: An haec consuetudo servari possit?

V. Infra Octavam SS.mi Corporis Christi, in Cathedrali Ecclesia Tropien., quotidie mane post *Nonam* fit processio cum SS.mo Sacramento, sed Missa Conventualis canitur post *Tertiam* coram SS.mo Sacramento exposito. Quaeritur: An hic usus continuari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam et secundam partem.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. Erit retinenda conclusio hymni illius festi, de quo Vesperae integrae recitantur.

Ad IV. Detur Decretum Generale n. **2647,** d. d. 27 Maii 1826 (1): nihil tamen obstare quominus

[1] En pars dispositiva citati decreti: " Caveatur et per modum regulae ubique servandae praefiniatur, ne in posterum alicubi per quoscumque, quolibet sub praetextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indulti, concessionis, tolerantiae, consuetudinis licet immemorabilis, quam abusum non ferendum E.mi Patres declararunt, liceat unquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub baldachino circumferre: tollerari tamen posse et permitti, quod Lignum SS. Crucis aliaque Instrumenta Dominicae Passionis, peculiari horum attenta veneratione, habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim et disiunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit. „

simulacrum processionaliter deferatur, absque velo humerali et sine umbella.

Ad V. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 3 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. Panici Archiep. Laodicen. *Secret.*

II.

1. *Permittitur, in casu peculiari, celebrare Missam in altaribus quorum sepulcra rite non sunt disposita: ac iterum ea consecrari breviori formula, etiam per Sacerdotes delegandos.*

2. *Idem permittitur in altaribus, quae distantiam a mortuorum sepulturis non servant, quae debet esse unius circiter metri.*

VICEN.

R.mus D.nus Iosephus Torres et Bages, E.pus Vicensis in Hispania, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime exponit, nimirum:

I. In Dioecesi Vicensi plurima inveniuntur altaria, quorum Reliquiae non lapide, sed caemento obtectae sunt. Quum vero iuxta Dec. S. R. C. 28 Iulii 1883 nova indigeant consecratione, et haec valde difficilis sit, idem orator humillime expostulat sanationem huiusce defectus, ut licite in praefatis altaribus Missa celebrari valeat, vel saltem indultum, quo ipse per se vel per Sacerdotes delegandos possit aperire sepulcra, eaque claudere lapide, et huiusmodi altaria consecrare breviori ritu

et formula. Petit item declarari, an eaedem Reliquiae, quae in praedictis altaribus inveniantur, possint apponi in nova eorundem consecratione?

II. In aliquibus suae Dioecesis Ecclesiis inveniuntur altaria, quae non longe distant a sepulturis. Inter ea sunt praecipue duo: primum habet prope tria sepulcra, nempe unum se extendens unico passu sub pradella, quae ampla est 83 centimetris, alterum in cornu Evangelii distans ab altari 8 cent., et tertium in cornu Epistolae distans 81 cent. Omnia haec sepulcra sunt in terra, et duro lapide obtecta, et nemo in eis iam a multis annis sepelitur. Aliud altare babet sepulcrum distans 90 centim., attamen celebrans in plano haud descendere valet, ob propinquitatem sepulcri, quod ipsius pradellae fere adhaeret, et elevatur eius lapis aliquantulum a terra. In hoc sepulcro tantum humatus est Episcopus Strank cum socio, qui cum illo occisus est. Quum vero a S. R. C. declaratum sit, tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam ab altari sufficere; quaeritur: 1. An in duobus praefatis altaribus possit Missa celebrari quin removeantur omnia vel aliquod ex his sepulcris? 2. An distantia 80 vel 90 cent. sufficiat ab altari, vel haec distantia debeat esse unius metri integri?

Et S. R. C., referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. Interim permitti celebrationem Missae

in enunciatis altaribus, simulque indulgeri ritum formulamque breviorem, pro nova consecratione ab Episcopo, per se, vel per simplices Sacerdotes delegandos, peragenda, cum substitutione operculi lapidei, ubi opus est, alteri ex caemento. Reliquias autem, quae in praedictis altaribus inveniuntur, licite apponi posse in nova eorum consecratione, si nullum dubium de earum authenticitate exoriatur, et nisi, ob duritiam caementi, in substitutione facienda, eiusdem caementi cum Reliquiis et granis thuris, contingat commixtio.

Ad II. Quoad primam partem, ex gratia, permitti, ut in altaribus, de quibus in casu, celebrari valeat. Quoad alteram partem, standum Decreto n. **3944,** *Romana*, 12 Ianuarii 1897, ad II (1).

Atque ita rescripsit. Die 30 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

---

(1) « II. Quaenam distantia intercedere debet inter Altare et cadavera, quae in Coemeteriis vel Ecclesiis sepulta sunt? — Ad II. Cadavera ab Altari tribus cubitis distare debere, at tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis: atque hanc distantiam sepulcrorum ab Altari sufficere. »

III.

In Missa vigiliae Immacul. Concept. B. M. V. color violaceus est adhibendus.

DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit:

" An in Missa de Vigilia Immaculatae Mariae Virginis Conceptionis adhibendus sit color albus vel violaceus? „

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, proposito dubio ita respondendum esse censuit:

Negative ad primam partem, *Affirmative* ad secundam [1].

Atque ita rescripsit. Die 12 Septembris 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. Panici Archiep. Laodicen., *Secret.*

[1] Pluries Ephemerides de vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V. pertractarunt, sive quoad colorem indumentorum in Missa, sive quoad genuflexionem in eadem, et sibimet cohaerenter semper, etsi non certitudinaliter, sed aliqua cum formidine, argumentatione petita ex carentia ieiunii, concluserunt, colorem album adhibendum, et minime genuflectendum esse in Missa. Quae sententia praxi R.mi Capituli Ss. Lateranensis Ecclesiae fulciebatur.

Hocce decreto S. R. C. e contra adversariorum sententiam probavit, et tenendam statuit, nempe: in Missa vigiliae Immaculatae Conceptionis B. M. V. colorem violaceum adhibendum, et consequenter in ea genuflectendum. Et sane vigilia per se et ex institutione est utique praeparatio ad festum, sed poenitentialis, unde in populo christiano sensus invaluit, ut etiam private, quandocumque quis vult se dispo-

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

DE ROCHETTO, CAPPA MAGNA ET MOZETTA UTI SIGNIS IURISDICTIONIS.

Lucius et Marcus Canonici cuiusdam Metropolitanae Ecclesiae in infinitum protrahunt, quin aliquid proficiant, quaestionem circa iurisdictionem, quam Rochettum, Cappa et Mozetta significare videntur: altero communi sententiae inhaerente, altero factum allegante, ex quo oppositum derivare

nere ad festum aliquod digne celebrandum ieiuniis, poenitentiis et humilitatis actibus, una cum orationibus id faciat. Hinc vigilia est per se semper ferialis, et fere nihil in officio habet de festo, imo et ipsa Missa, etsi festum respiciat, attamen non omnia habet de festo neque ipsam praefationem, quamvis festum propria gauderet, et celebratur ritu feriali. Excipiuntur utique ex hac lege aliquae vigiliae, sed peculiari ex ratione. Quando igitur rubrica loquitur de vigiliis, quae ieiunantur et de vigiliis, in quibus non ieiunatur, hoc non tam ad factum ipsum, quam ad ius refertur, et quidem pro tempore quo rubrica exarata fuit. Hinc, tempore paschali, quia non ieiunatur, omnino ablata fuit vigilia in festo Ss. App. Philippi et Iacobi: poterat utique fieri sicut pro festo Ascensionis; sed quia pro illis rationes, quae pro ista militant, non aderant, hinc vigilia praetermissa penitus fuit.

Vigilia igitur per se redolet moerorem et moestitiam, adeoque celebranda ritu feriali et poenitentiali, nisi ratio specialis obstet, uti pro vigiliis Epiphaniae et Ascensionis Domini, quae non ieiunantur nec non Pentecostes, etsi in ieiunio.

iudicat. Siquidem se vidisse Marcus testatur, nec semel aut iterum, Episcopos, qui Ordinarii non erant, sed aut Coadiutores aut simpliciter Titulares, Mozetta indutos cum Rochetto, et quidem discooperto, seu in Concilio provinciali, seu in pluribus functionibus episcopalibus, quas persolvebant. Item plures se conspexisse ait locorum Ordinarios, App. Limina invisentes in Urbe Roma, uti quosdam tantum Administratores Episcopos, Missae solemni extra Urbem assistentes, Cappa magna indutos. Quibus tamen obiectis reponit Lucius, factum non probare ius, esse autem illud explicandum ex lege, talia quandoque permittente Insignia peculiari de causa, vel etiam ex facultate a Dioecesano habita. His nihilominus haud satis facientibus Marco, litteras hic dedit ad alterum ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris, ut Caeremonialis Episcoporum lege, Decretis et facto inter se collatis, controversiam, si fieri posset, dirimeret. Eapropter inquirit in eis:

1. *Quid possit argui circa Rochetti, Cappae magnae et Mozettae antiquitatem liturgicam in Episcopo, et quodnam eorum sit symbolismum?*

2. *Num e Caeremoniali Episcoporum, Decretis et praxi collatis simul, inferri certo possit, praefata Insignia iurisdictionis signum constituere?*

3. *Pro quo ex duobus Canonicis disceptantibus pugnet ratio?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. ANTONII GUARNIERO, **habita in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 26 Iunii 1901; acta epitome per Rev.mum Dom.** ALOISIUM AGNOLETTI.

I. Quid possit argui circa Rochetti, Cappae magnae et Mozettae antiquitatem liturgicam in Episcopo, et quodnam eorum sit symbolismum?

Certum nunc tandem omnino est, iam a primaeva Christianae Ecclesiae constitutione, ecclesiasticos omnes in sacrarum functionum exercitio, tunica candida, *alba* idcirco appellata, indutos incessisse; quod oculis quisque suis prospicere potest in romanis catacumbis. Rochettum, prout et superpelliceum, uti alias hoc in amplissimo Coetu probatum est, ex alba originem duxerunt, quod et a cl. Duchesne *(Origines du culte chrétien*, pag. 367) et Magistretti *(De vestibus sacris Mediolani adhibitis)* confirmatur; nil enim aliud illa sunt, nisi alba, ad maius clericorum commodum, decurtata. Non adeo tamen facile est tempus determinare, quo haec commoditatis ratio invaluerit. Mentio primum facta invenitur de superpelliceo anno 1060 in legibus Eduardi Angliae regis; de rochetto autem, antea *camisiolum* apud Beroldum, et *camisia romana* in chronica S. Martialis appellato, scimus hoc nomine fuisse distinctum saeculo XIV. Etymologice a voce germanica *Rok* derivatum dicitur a Merusio in Glossario, a Vossio *(De vitiis sermonis)* et ab aliis. Iuxta Gavantum *(Thesaur. Sacr. Rit.*, part. II, Tit. I) a Gallica voce *Roquet* derivat, quae vox introducta dicitur quando Apostolica Sedes Avenione commorata est. Iuxta Sonnerum et Spelman a vocabulo anglo-saxonico *Rocc* originem duxit. Diversitas inter utrumque indumentum non est circa materiam, sed circa formam, quippe quod lino unumquodque conficitur, sed rochettum manicas strictas habet, superpel-

liceum vero amplas. Illud vestis fuit olim propria Episcoporum, postea tamen ex privilegio aliis eminentioribus ecclesiasticis concessa, uti tradunt Baronius et Macri; istud proprium omnium inferiorum clericorum indumentum. Rochettum symbolice significat, quod et alba, videlicet vestem qua Dominus noster ab Herode indutus fuit, et moraliter symbolum est innocentiae, puritatis et sanctimoniae, quae in Dei ministris requiruntur. Manicae strictiores, notat Macrius, denotant, Praelatorum manus paratas et expeditas esse debere ad eleemosynas largiendas.

Cappa fuit, ab origine, sacra quaedam vestis, qua cantores utebantur; eadem est, quae pluviale audivit, eo quod a pluvia defenderet, et hanc ob rationem caputio praedita erat. Iuxta Textum in Clementinis *(De Statu Monach.*, cap. *Ne in agro*, § *cum vero*), vox cappa unica litera *p* scribenda foret, ibique glossa, etymologice a *capite* derivatam edicens, capam dicendam praedicat. S. Gregorius Turonensis in suis operibus de Casula S. Nicaeti Episcopi lugdunensis loquitur ac dicit: " Cappa autem huius indumenti ita dilatata erat atque consuta, ut solet in illis candidis fieri, quae per Festa Pascalia humeris imponuntur „. Posterioribus saeculis cappae nomen pluries in Synodis invenitur et apud Scriptores, qui de sacris indumentis disseruerunt. De cappa episcopali sermo fit in Synodo IV Mediolanensi, sub S. Carolo Borromaeo celebrata, his praecisis verbis: " Cappam episcopalem cum in Ecclesia vel ad divina Officia, vel ad Conciones, vel ad sacras lectiones, vel ad alias eiusdem generis actiones accedunt, omnino induant „. Haec cappa, ob eius magnitudinem, *magna* appellatur, eiusque forma a monachorum habitu desumpta est, quando hi Ecclesiam gubernarunt. Haec pellibus aut serico praedita est, iuxta temporum diversitatem, deferturque a S. R. Eccl. Cardinalibus, Episcopis et, plerisque in Cathedralibus, a Canonicis et Beneficiariis, sicut et Romae in Patriarchalibus et aliquibus in Collegiatis;

quae cappa magna iuxta gradus diversitatem, non tam ex colore panni, qui potissimum nunc violaceus est, quam ex pellium colore distinguitur, plerumque enim Canonicorum est alba, cinericia Beneficiariorum, nigra vero alicubi cappa Clericorum - Beneficiatorum. Notandum est insuper Cardinales, Episcopos nec non Abbates Ordinarios Regularium Ordinum, nempe monasticorum et mendicantium, non vero Canonicorum Regularium et Congregationum, cappam gestare consuevisse coloris habitus respectivi Ordinis. Quoad tamen Minores S. Francisci, animadvertendum est, Capuccinos tantum, a medio circiter transacto saeculo, colorem vestium, tanneum nempe, in cappis assumpsisse, dum ceteri ex antiquo more semper cinericio utuntur.

Quod symbolicam vero significationem respicit, dicendum, ipsam exprimere eminentiam ecclesiasticae dignitatis. Caudae longitudo denotat, sacerdotalem dignitatem usque ad diem universalis iudicii duraturam esse; sub brachio tamen involuta gestatur, quia ecclesiastica dignitas, manifestanda non est, nisi cum id Dei honor et animarum salus requirit. Pellis autem, quae ad collum et circa pectus defertur, Praelato insinuat, ipsum esse peccatorem, ut ait Augustinus, aut ipsum esse mortalem, ut explicat Origenes. Ita de cappa Rupertus disserit *(lib. 3, De divinis officiis, cap. 24)*: " Cappa quoque de maioribus festis superinduimus, ut amplius in Deo gloriemur, aspicientes in futuram resurrectionem, quando omnes electi (quibus nunc post depositionem carnis in anima tantum remuneratis singulae stolae albae datae sunt) binas accipient stolas, scilicet requiem animarum, et resuscitatorum gloriosam immortalitatem corporum. Quae cappae bene ab anteriori parte patulae sunt, et omnino praeter solam necessariam fibulam inconsutae, quia profecto immutata iam et immortalia corpora nullis animam obcludent angustiis, corda non contegent, nec obsistent internae Trinitatis contemplationi „.

Mozetta tandem, iuxta Moroni, antiquissima est vestis ecclesiastica Papae propria, nec non Cardinalium, Episcoporum, Abbatum regularium et eorum, qui ipsa ex consuetudine aut pontificia concessione utuntur. Est hoc breve indumentum, apertum in parte anteriori, sed globulis firmatum, in posteriori parte ad collum parvo praeditum caputio; scapulas ex toto contegit cum pectore et mediis brachiis. Mozetta sub nomine quoque venit Caputii, cum illud, quod nunc ei posterius aptatur, vestigium sit alterius valde amplioris, quod veteres in capite gestare solebant. Usu invecto pileoli, bireti etc., cum non amplius caputio operire caput necesse fuerit, formam istud adeptum est strictiorem. Pallavicinus, in Historia Concilii Tridentini *(lib. 15, cap. 13, n. 5)*, eam vocat *Cappa breve*, aut *mozza*, ex quo vulgo *mozzetta* appellatur. Et quoniam Cappa latine *pallium* dicitur, ita Mozetta a Venantio Fortunato *palliolum* nuncupatur. Inquit Sarnellius, hanc vestimenti speciem ab antiquo ab Episcopis in usum deductam fuisse, et de illa memoria habetur iam a S. Cypriani tempore, qui anno 261 defunctus est, ac martyrium subiturus, habitum prius *birrum lacernum* appellatum, exuit, mozettam nempe, quae ita vocata dicitur a colore rosaceo. Birrus lacernus dicta est, eo quod super lacerna imponeretur. Fuit hoc pallium more laicorum confectum, at absque ulla ad collum plicatura, dum mozetta quasi superius pallium extitit, ut et in praesens, ad scapulas contegendas aptum cum brachiorum medietate, caputio praeditum ad operiendum caput.

Usus birrum super talarem tunicam deferendi, communis etiam fuit Ecclesiae Orientali, ut ex Palladio colligitur, qui narrat, S. Athanasium Episcopum Alexandrinum tunica indutum et birro profectum fuisse.

De mozettae symbolico sensu, cum ipsa, iuxta Pallavicinum, nil aliud fuerit ab origine nisi brevis cappa, illi, quae de ista dicta sunt, saltem ex parte, applicari valent.

II. Num e Caeremoniali Episcoporum, Decretis et praxi collatis simul, inferri certe possit, praefata insignia iurisdictionis signum constituere?

Dicemus singulatim prius de rochetto, postea de cappa magna, tandem de mozetta.

De rochettô dicit Caeremoniale *(lib. 1, cap. I)*: " Praesentes in Curia.... e Sanctitatis suae manibus rochettum accipient, absentes vero se ipsos rochetto induent „. Ita Urbanus VIII in Decretis generalibus initio Missalis insertis: " Usus rochetti prohibetur, exceptis tamen quibus de iure competit; et praeter hoc statuitur et declaratur nemini licere inservire aut assistere in celebratione Missarum, aut divinorum Officiorum cum rochetto, neque cum cotta habente manicas angustas ad instar rochetti: et idem servandum est in concionibus „. Habemus insuper Decretum Sacrae Rit. Congregationis in *Templen.* 12 Ianuarii 1878, n. **3438** *(5716)*, in quo, ad dubium 8: " An licite possint Mansionarii, Clerici et initiandi assistere sacris functionibus induti rochetto vel superpelliceo formam rochetti praeseferente? „ respondetur: " Negative et serventur Decreta „. Decretum generale datum sub Pio Pp. VII, die 31 Maii - 4 Iunii 1817, n. **2579** *(4573)*, habet: " Dignitatibus et Canonicis, etiamsi gaudeant Indulto deferendi cappam et rochettum tam in propria quam in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen, aliorumque canonicalium insignium usum, extra propriam Ecclesiam, licitum esse dumtaxat quando capitulariter incedunt vel assistunt et peragunt sacras functiones; non autem si intersint ut singuli, nisi speciale privilegium nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur. Et ita declaravit, decrevit et servari mandavit „. Et ad dubium 1. Decreti in *Goana*, n. **3804**, 16 Iunii 1893: " An in assistentia Missae privatae Episcopi, Canonici uti possint insignibus canonicalibus, an tantum superpelliceo, vel etiam rochetto, si eius privilegio fruantur? „ responsum fuit: " Adhi-

beant solummodo rochettum cum superpelliceo „. Rochettum ergo est vestis significativa tantum dignitatis ; gestant illud sane Papa, Cardinales saeculares, Episcopi item saeculares, Praelati Romanae Curiae aliique ex privilegio apostolico.

De cappa magna ita Caeremoniale *(Lib. I, cap. III, § 3, 6.)* dicit : " Quoad cappas vero, quibus Episcopi in propriis Ecclesiis utuntur, id erit observandum, ut regulariter sint laneae et violaceae, et non alterius coloris. In solemnioribus tamen festis..... poterit Episcopus uti etiam cappa ex camelotto coloris violacei. Extra Dioecesim, et Ecclesiam suam Episcopi non utuntur cappa praeterquam in Romana Curia cum in Divinis Pontifici Maximo vel Sacro Cardinalium Collegio praesente assistunt „. Sacrae Rituum Congregationis decreta eandem confirmant doctrinam. Decretum in *Turritana,* d. die 26 Aprilis 1704, n. **2135** *(3687)*, ad dubium 5 : " An Archiepiscopus Turritanus accedens ad Ecclesiam Cathedralem in solemnitatibus, ad effectum assistendi functionibus ecclesiasticis, teneatur deferre cappam magnam, sive potius possit incedere cum sola mozzetta sive alio habitu minus solemni? „ respondit : " Quoad Primam partem *affirmative*, in reliquis *negative* „. Episcopus administrator cappam deferre potest ad Cathedralem accessurus, eamque sumere valet sive in aedibus Episcopatus sive in ingressu Ecclesiae aut Presbyterii (22 Augusti 1792, n. **2274**-*3952*, ad 8).

Cappa magna denotat potius dignitatem quam exercitium iurisdictionis. Eam induunt Cardinales, Episcopi et, plerisque in Cathedralibus, Canonici quoque et Mansionarii seu Praebendarii. Item in Patriarchalibus et Collegiatis, Romae, etiam Beneficiati et nonnulli Cappellani.

De mozetta tandem ita Caeremoniale Episcoporum (*lib. I, cap. I, § 3)*:

" Et si erunt in propria sua dioecesi vel provincia, cum de eorum promotione certum nuntium habuerint, utantur

domi et foris loco mantelletti, mozzetta eiusdem coloris supra rocchettum „. Et cap. III, § 1: " Episcopus postquam ad suam Dioecesim et civitatem, et Archiepiscopus ad suam Provinciam pervenerit, uti poterit vestibus violaceis sive laneis, sive ex camelotto superinduta, super rocchettum mozzetta. Et domi eodem utentur habitu, saltem dum fit aliqua congregatio coram ipso Episcopo, vel ordinandorum examen, vel aliquid simile, ac etiam quoties erunt congregationes coram Metropolitano, dum celebratur Concilium Provinciale, quo habitu, scilicet mozzetta cum rocchetto discooperto in dictis congregationibus utetur tam ipse Metropolitanus quam alii Episcopi Provinciales, qui ibidem pro synodo celebranda convenerunt. „ Et § 2: " Eodem quoque habitu Episcopus indutus erit quoties per civitatem et terras, seu oppida suae dioecesis incedet „. Ibid., cap. IV, § 7: " Si vero Episcopus obviam iret alicui Cardinali Legato, vel non Legato, ad eius civitatem advenienti, usque ad portam, vel extra eam, vel etiam si cum eisdem per urbem incederet, induat supra rocchettum mantellettum, et abstinebit a delatione Crucis ante se, si erit Archiepiscopus, ob reverentiam officii et dignitatis illius. Et si erit Cardinalis Legatus, abstinebit etiam ab usu mozzettae „.

Plura subveniunt decreta, quae Caeremoniale explicant:

Mozetta uti non potest Episcopus administrator, uti ex decreto n. **2976** (*5140*), in *Liburnen.*, ad 2, diei 23 Septembris 1848, eruitur. Ne in aliena quidem dioecesi Episcopus suffraganeus et titularis, uti constat ex decreto n. **3873**, *S. Iacobi de Cile*, ad 3, diei 6 Septemb. 1895. Nequit eam deferre Episcopus suffraganeus praesente Metropolitano, ex alio decreto diei 13 Septembris 1898, n. **4001**, ad 5. Archiepiscopus autem deferre solet mozettam, quando sacram visitationem per dioeceses suffraganeorum peragit praesente Episcopo suffraganeo, iuxta decretum in *Oppiden.*

diei 3 Decembris 1672, n. **1459** (*2611*); ac in Italia Episcopi deponere mozettam solent praesentibus S. R. E. Cardinalibus; tenentur autem praesente Cardinali Legato: ita ex Caeremoniali (*loc. cit.*) et ex decreto n. **388** (*601*) in *Ianuen.* d. d. 20 Iulii 1621. Concludendum ex his omnibus, revera mozettam iurisdictionem indicare, eamque deferre posse Papam, Cardinales in suis Ecclesiis suburbicariis, Titulis, Diaconiis et Protectoriis nec non Sede Apostolica vacante, et Episcopos in suis dioecesibus, et in concilio provinciali.

III. Pro quo ex duobus Canonicis disceptantibus pugnet ratio?

Stat quidem ratio ex parte pro Marco, ex parte autem pro Lucio. Episcopi non Ordinarii, sed Coadiutores, qui mozetta et rochetto discooperto Concilio provinciali assistunt, aut functionibus episcopalibus, id peragere valent, quia Coadiutores in dioecesi vices supplent Episcopi senis aut impotentis, proindeque iurisdictionem habent. Simpliciter Titulares vero id nequeunt, nullam namque iurisdictionem possident. Episcopi Ordinarii Romam venientes ius habent deferendi Cappam in Pontificiis Cappellis, si vero extra urbem in Missa solemni Cappam magnam induunt, nullius iurisditionem imminuunt, eo quod haec exprimit solummodo dignitatem, non ideo tamen rite faciunt, est enim contra consuetudinem Caeremoniali innixam. Administratores tandem Episcopi in locis sibi subiectis id agere possunt, ob praedictam rationem, nec in casu opponuntur praefato Caeremoniali, uti ex relatis decretis constat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Brixia.* **De Missa votiva in expositione SS.mi Sacramenti ad instar XL Horarum.** In expositione SS.mi Sacramenti *ad instar* Orationis XL Horarum, hac in dioecesi usus invaluit, ut Missa votiva solemnis de eodem SS.mo Sacramento cantetur, exceptis festis duplicibus 1 et 2 classis: usus continuari ne potest?

Resp. Instructio Clementina pro Oratione XL Horarum, quae omnes Urbis Ecclesias, in quibus eiusmodi Oratio peragitur, obligat, statuit canendam esse Missam votivam SS.mi Sacramenti in expositione et repositione eiusdem, ritu proprio votivarum, quae dicuntur *pro re gravi;* et quamvis haec Instructio extra Romam praeceptiva non sit, attamen, ut omnes eidem se conforment, in quantum possibile est, in votis est S. Rituum Congregationis. Attamen considerandum est, in eadem Instructione cautum esse, ne hae Missae adamussim veniant comparandae illis, quae vere pro re gravi celebrantur; excipiuntur enim, praeter dies, qui Missam pro re gravi proprie dictam impediunt, et dies dominici 2 classis, et duplicia itidem 2 classis, nec non integrae octavae privilegiatae Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, prout et aliae similiter privilegiatae (Cfr. decr. **3574**-*5871*, in *Marianopolitana*, ad V). Unde erui datur, *per se* Missas votivas in casu non esse accensendas veris votivis *pro re gravi et publica Ecclesiae causa;* siquidem hae in sensu Ecclesiae sunt illae, quae *extraordinaria* aliqua de causa iubentur; nunc vero, etsi Oratio XL Horarum sit pro gravi causa indicta, non est tamen pro extraordinaria, et continuatim peragitur.

Hinc animadvertimus: si Missae pro expositione et pro repositione SS.mi Sacramenti in forma clementina non sunt considerandae reipsa pro re gravi, multo minus illae, quae celebrantur in aliis expositionibus et repositionibus alia forma peragendis. Idcirco quod ex privilegio datur iis Missis a praedicta Instructione, eo quod considerentur, in casu, quasi pro re gravi, cum iuribus istarum intrinsecis, non tamen, ut ita dicamus, extrinsecis, ut nempe impedimenta maiora patiantur, in ritu tamen normas illarum sequantur, extendi non valet expositionibus, quae fiunt *ad instar* Orationis XL Horarum, sed non iuxta romanam praxim, videlicet ut locum non habeant diu noctuque. Hinc optime Gardellinius in Commentariis ad Instructionem Clementinam (*XXXIII, n. 4*), animadvertit: " Quod si alicubi fiat huiusmodi Expositio ad formam quidem Orationis Quadraginta Horarum, ita ut ad tertium usque diem protrahatur, nocte tamen recondatur Sacramentum, non amplius locum habebunt sanctionis regulae, quae tantummodo obligant Ecclesias per turnum designatas pro Oratione Quadraginta Horarum, cum desit id quod praecipuum est Instituti, perpetuitas scilicet Orationis per Quadraginta successivas horas nunquam interruptas licet per tres dies fiat. "

Hinc, nisi privilegium obtineatur, Oratio *ad instar XL Horarum* non omnibus gaudere potest praerogativis, quae ab Instructione Clementina tribuuntur; sed, ut hoc assequi valeat, oportet ut Oratio fiat omnino iuxta praedictam Instructionem, saltem quoad substantiam, quae potissimum in continuitate posita est.

II. *E Benevento.* **De festo particulari Dominicae affixo perpetuo impedito.** In calendario perpetuo huius archidioecesis, a S. R. C. approbato, die 12 Maii 1887, Festum Patrocinii B. M. V. *dupl. mai.* affixum est Dominicae tertiae Novembris; ast Dominica post octavam Omnium Sanctorum assignata est festo Dedicationis Ecclesiae Ca-

thedralis, adeoque, sive hoc festum, sive eius octava semper impediunt festum Patrocinii. Debet ne transferri festum Patrocinii B. M. V. perpetuo impeditum? Et in casu affirmativo in Dominicam vel in diem fixam?

Resp. Festa Dominicis affixa tripliciter differunt; nempe, vel universali Ecclesiae, vel regno aut ditioni data sunt, vel dioecesibus aut locis peculiaribus. Quae universali Ecclesiae data sunt, utique impedita accidentaliter vel perpetuo reponenda sunt aliis diebus, iuxta rubricas, uti festum S. Ioachim Patrocinii S. Ioseph, SS. Nominis Iesu etc.: similiter, quae pro aliquo statu praecepta sunt, uti patet ex decreto **2319**, *alia dubia*, ad 8. Quae vero aliquibus dioecesibus, ipsis petentibus, concessa sunt, impedita transferri absque indulto nequeunt. Ita in hoc ipso allato decreto, loco citato, et Decreto **3531**, ad 1 et 2; **3607**, ad 5; **3637**, ad 3 et 4.

In his tamen omnibus decretis vel agitur de impedimento accidentali, uti in ultimo citato, in quo haec habentur: " Absque indulto, negative; et officia enunciata *eo anno* omittenda „, quamvis in dubio dicebatur, absque determinatione: " in casu impedimenti „; et dec. **3531**, ad 2, cuius dubium habet: " quoties impedita etc. „; vel generatim loquitur, uti in hoc ultimo decreto, in dubio I, et decreto **3607**, dub. V, et decr. **3319**, dubio supra citato.

Hinc non defuerunt existimantes Decreta semper loqui de accidentali impedimento, non vero de perpetuo, unde hocce in casu posse vel debere talia festa transferri. Ad quid enim concessa fuissent, si perpetuo impedita amplius celebrari non possent? Sed, quidquid sit de hac utique non spernenda ratione, S. R. C. novissimo decreto, dato die 3 Augusti huius anni, et hic supra relato, decrevit, talia festa impedita, etsi perpetuo, *prorsus esse omittenda*; absque dubio, uti in aliis decretis cautum est, nisi speciale habeatur indultum ea transferendi.

In casu, convenimus, concessio frustratur effectu, imo

omnino illusoria est, sed id ex inadvertentia profecto accidit; unde sicuti a S. R. C. approbatio Calendarii obtenta fuit, in genere, ita nunc nova festi Patrocinii assignatio in specie impetretur.

III. *Ex eodem loco.* **De cohaerentia inter** *Ephemerides Liturg.* **et Decretum S. R. C.** Quomodo cohaerent quae in *Ephemeridibus Liturgicis* huius anni, fascic. 8-9, *pag. 510, ad VII*, habentur, cum Decreto n. **3804**, *ad VII?*

Resp. Prima fronte utique videntur sibi invicem non constare *Ephemerides* cum decreto; ast si bene perpendantur, non solum ad invicem non sunt contraria, sed eadem omnino dicunt. In loco enim citati decreti *non decernitur*, esse causam Missam votivam pro re gravi canendi initium scholarum magna cum pompa celebratum, sed dicitur *decernendum ab Episcopo*. Ergo Episcopus ex rerum adiunctis tantum dignoscere potest, an pro illa vice adsit *sufficiens motivum* Missam votivam solemnem canendi: sed non quod semel pro semper hoc ipsum statuere possit, quod decreti 2 parti opponeretur. Hoc quid sibi vult, nisi initium scholarum non esse *per se* causam gravem et publicam, sed pendere a circumstantiis? Quae in casu decreti utique adesse poterant, et conformes ad eas, quae a rubrica et decretis requiruntur; ast non ita in loco citato *Ephemeridum:* quin ibidem ullus concursus populi inveniatur, quin Episcopi placitum et iussus singulis vicibus, tantum habetur usus; et simpliciter quaeritur, an consuetudo haec sustineri valeat. Et quid *Ephemerides?* Usum improbant, utpote in falso supposito fundatum, nempe quod initium scholarum sit *per se* causa sufficiens Missam solemnem votivam canendi tamquam pro re gravi, nec tamen denegant, aliquibus circumstantiis intervenientibus, posse talem evadere; de quo tamen iudex est Episcopus. Nonne haec optime cohaerent cum Decreto? Quod si *Ephemerides* circumstantias omnes non numerarunt, sed tantum unam aut alteram, attamen alias non reiecerunt.

Igitur initium seu *aperitio* uti aiunt scholarum, *per se*, non est causa Missam votivam solemnem canendi, tamquam pro re gravi, sed bene talis evadere potest quibusdam ex causis, de quibus iudex est Episcopus *singulis vicibus*.

IV. *Aliquibus ex locis.* **De concursu inter Octavam Dedic. Ecclesiae propriae et Octavam festorum solemn. Ecclesiae universalis.** In concursu Octavae Dedicationis Ecclesiae propriae cum Octava festorum solemnium Ecclesiae universalis cuinam tribuendae vesperae?

Resp. Decreto **3881**, n. 4, festa, etsi principaliora, Ecclesiae particularis, uti Dedicatio Ecclesiae propriae, locum dare debent festis solemnioribus Ecclesiae universalis, etsi dignitate inferioribus, et hoc tam in occursu, quam in concursu, quod iam cautum fuerat decreto **2053**, quo statuebatur, in concursu festi Assumptionis B. M. V. cum festo Dedicationis Ecclesiae propriae, Vesperas illi esse tribuendas. Octavae vero festa sequuntur et conditiones eorum; nec plus habent quam festa ipsa: hinc et decreto **1922** statutum erat, octavam Dedicationis Ecclesiae propriae locum cedere octavae Omnium Sanctorum. Quod de occursu certo tenendum: quapropter si e. g. in festo Assumptionis occurrat festum Dedicationis Ecclesiae propriae, hoc utique transferri debet; et si locum habere potest infra octavam, continuabit ex tunc absque dubio ex rubrica suam octavam, cuius tamen dies octava occurret die octava Assumptionis: nonne igitur hoc in casu agendum de octava Assumptionis, commemorata tantum octava Dedicationis? Ast idem ne dicendum de concursu? Ex lege generali utique ita videtur; nam iisdem fere legibus occurrentiae et concurrentiae reguntur. Obest tamen nostro in casu dispositio rubricae post tabellam concurrentiae n. 2, qua festis Domini solemnioribus, quibus ex decreto **3881**, n. 1, accensenda est Dedicatio Ecclesiae propriae, peculiariter tributum est, ut in concursu eorum diei octavae quocumque cum festo etiam primario, non cedat nisi dupli-

cibus I et II classis; quod festis solemnioribus Ecclesiae universae tributum non est, nisi et ipsa sint festa Domini.

Nulla vero exceptio huic privilegio facta est; ideoque, quamvis aliqualiter dissonum videatur, privilegio festis Ecclesiae universalis dato, ut praevaleant festis Ecclesiae peculiaris, etsi dignitate praestantioribus, tamen inficiari non potest, quod in concursu octavae Dedicationis Ecclesiae propriae cum octava alicuius festi Ecclesiae universalis, quod tamen non sit et ipsum festum Domini, huic praevalere illa debeat. Et revera si istius octava, in concursu cum festo aliquo duplicis maioris ritus, huic cedere debet, quanto magis illi cui et hoc cedit? Absque dubio igitur in concursu octavae Dedicationis Ecclesiae propriae cum octava cuiuscumque festi Ecclesiae universalis, quod tamen non sit festum Domini, Vesperae illi tribuendae sunt. Dixi nisi et ipsum sit festum Domini, nam tum e converso dicendum, uti patet.

V. *Ex Utino.* **De concurrentia officii votivi cum festo secundario.** In concursu officii votivi cum festo semiduplici secundario dimidiandae sunt ne vesperae, an huic tribuendae, commemorato tantum illo, uti rationabilius videtur?

Resp. Non diffitendum, prima fronte non tantum rationabilius, sed omnino ita dicendum videtur. Officium enim votivum videtur quoddam supplementum, quod libere ac sponte assumitur, deficiente quocumque alio festivo ac praeceptivo officio, simplici potiori: adeoque per se non tantum uti secundarium habendum, sed, si ita loqui fas est, uti tertiarium. Amplius. Concurrentia fere iisdem legibus regitur ac occurrentia, ni quid obstet; et quoniam in occursu absque dubio officium semiduplex etsi secundarium praevalet officio votivo, hinc videtur recte et in concursu hoc illi cedere debere. Haec, ratiocinando, utique non parvam probabilitatem habent: ast hic non rationibus a priori et ex convenientia insistendum, sed legi et decretis; rationes enim ad legem decretaque con-

denda afferri debent, nec non ad ea recte interpretanda, si quando authentica interpretatio deest: ad dubium vero solvendum lex consulenda venit et decreta. Lex igitur clare edicit, in paritate ritus, qualitatis et dignitatis, vesperas esse dividendas, nec exceptionem quamcumque statuunt, quoad hoc, sitne officium praeceptivum, votivum vel ad libitum. Imo in contrarium aliquid erui potest ex decreto **3870**, quo statuitur, in concursu cum festo primario eiusdem ritus, huic tribuendo vespero; si enim semper vesperae festo tribuendae essent, primarium sit vel secundarium, S. R. C. procul dubio respondisset: *totum de festo* **etiam** *secundario*. Ex hoc igitur quod speciatim edicitur de festo primario, patet idem non dicendum de secundario. Nec ratio deest. Esse enim officium aliquod praeceptivum vel ad libitum seu votivum, nihil interest ad relationem officiorum inter se, sed tantum respicit officiantem; officia vero secundaria nihil habent supra votiva nisi hoc tantum, nempe quod praeceptiva sint. Quid enim sunt festa secundaria, praesertim semiduplicia, nisi quaedam commemoratio alicuius sancti, sicut et officia votiva? Quod si aliquam ob causam praestantiora essent, tum ritu superiori celebrarentur. Ne igitur nova inducatur ratio, multis iam aliis extantibus, discernendi, comparandi et concordandi officia inter se, rubricis et decretis inhaerendo, dicendum est, officia votiva in concursu paria omnino esse festis semiduplicibus secundariis, adeoque vesperas dividendas esse. Sed dices, numquid in occursu haec illis non praevalent? Utique; ast hoc non quia potiora sunt, sed quia praeceptiva; et cum de utrisque fieri nequeat, necessario praeceptivum tenendum, votivum relinquendum esse, ratio docet. Haec videntur certa et tenenda, quoadusque S. R. C. aliter non decernat. Sed obstare videtur quod statuitur decreto **3875** ad dub. II. Ad primam namque quaestionem, nempe: an solemnis commemoratio Ss.mi Sacramenti dupl. mai., quae recolitur qualibet prima feria V cu-

iusque mensis, praecedentiam habeat supra festa secundaria eiusdem ritus sed inferioris dignitatis tum in occursu quam in concursu; S. R. C. respondit — negative. — Ad secundam vero quaestionem eiusdem dubii, nempe an in concurrentia cum festis secundariis eiusdem ritus et eiusdem dignitatis Vesperae debeant esse de Ss.mo Sacramento an de festo: et eadem S. R. C. respondit — totum de festo, cum commemoratione officii votivi. — Ex quibus igitur apparet, quod officia votiva cedere debeant officiis praeceptivis eiusdem ritus etsi secundariis. Ast, si bene hae responsiones perpendantur, nil contra statuta erui potest.

Prima namque non facit ad rem; denegatur nempe in ea praevalentia officii votivi supra festum secundarium eiusdem ritus, sed qualitate inferius, de quo non est quaestio: quinimmo ex hac responsione aliquid pro nobis erui potest: si enim S. C. tenuisset, quod officia votiva cedere deberent festis secundariis eiusdem ritus, non dixisset — negative, — sed — praecedentiam spectare festo secundario. — Denegando igitur officio votivo praecedentiam, non ex hoc illud postposuit.

Secunda responsio utique prima fronte contraria videtur; explicite enim edicit — totum de festo, commemoratio officii votivi. — Sed notandum, hic agi de eodem subiecto, etsi non sub eadem ratione; quapropter sicut et pro aliis concurrentibus festis Domini eiusdem ritus semper vesperae integrae de uno et commemoratio fit de alio, ita et in casu nostro. Convenit autem omnino ut votivum tum cedat officio festivo, sicut in occurrentia; iam enim multum est quod commemoretur; non enim fieret si subiectum esset Beata Virgo vel Sanctus aliquis; quo in casu, inter duo officia concurrentia totum de uno nil de alio. Speciale igitur tributum est festis Domini, etiam secundariis, quod, nisi eandem habeant rationem, alterum semper commemoretur; adeoque et hoc in casu S. R. C. statuit commemorandum esse

officium votivum Ss.mi Sacramenti concurrens cum festo aequalis ritus et dignitatis, sed secundario: nil igitur ex hoc inferri licet contra ea quae supra statuimus.

VI. *Ex eodem loco.* **De concursu octavae festi Ss.mae Trinitatis cum I Vesp. festi duplicis I classis.** Omitti ne debet commemoratio octavae Ss.mae Trinitatis concurrentis in I Vesperis festi dupl. I classis, iuxta decretum **3624**, ad 7; an, mutata in affirmativam negativa responsione huius decreti, uti docent *Ephemerides* vertentis anni, p. 338 in nota, commemorari debet iuxta Rubricam post tabellam concurrentiae, n. 2?

Resp. Rubrica citata non loquitur de quibuscumque festis Domini primariis, sed de solemnioribus, inter quae adnumerari nequit festum Ss.mae Trinitatis; nam etsi sit primarium et privilegio gaudeat inamovibilitatis, etiam in occursu duplicis I classis, tamen revera tale non est, neque his accenseri potest. Hinc, si alicubi celebretur eodem sub ritu ac in Ecclesia universa, attamen cum octava, eius dies octava omnibus privilegiis octavis festorum Domini solemnioribus concessis gaudere non potest; adeoque per legem citata in rubrica contentam minime regendam; et ideo in concursu cum primis Vesperis duplicis I classis commemoranda non venit, uti compilator indicis locis adductis edicit ex decreto **3624**, ad 7. Ast dices, nonne decretum agit de hoc festo tamquam duplicis I classis, cum sit in casu Titulus Ecclesiae? Videtur igitur, non tantum in casu supra exposito, in quo consideratur uti duplex II classis cum octava (adeoque non de solemnioribus festis), sed et in hoc casu, in quo uti solemnius computandum est, non debere eius octavam commemorari in 1 Vesperis duplicis I classis, contra quod statuitur in citata rubrica n. 2, post tab. concurrentiae. Verum quidem est in citato decreto ad VI agi de festo Ss.mae Trinitatis uti Titulo Ecclesiae, adeoque dupl. I class.; ast idem non apparet in VII quaesitu: et S.

R. C. in sua responsione ad hoc dubium forte illud respexit uti celebratur in Ecclesia universa, nempe dupl. II class. Quod si illud uti dupl. I class. et hic respexit, tum dicendum, hoc decretum latum fuisse ante novissimam rubricarum reformationem, qua generatim tributum est omnibus festis Domini primariis et solemnioribus, quod antea tributum tantum erat nominatim aliquibus earum: absque dubio igitur amplius non attendendum, utpote implicite abrogatum per hanc novam rubricarum dispositionem, seu extensionem eius. Imo cum, S. C. decreto 24 Martii 1901, ad IX, decernat commemorandam esse in I Vesp. duplicis I classis octavam Dedicationis Ecclesiae propriae, quacum concurrit, et dubio procul festum Ss.mae Trinitatis, ubi celebratur ritu duplicis I classis, ne quidem inferius, praestantius imo videtur esse festo Dedicationis, nulli dubium huic tribuendum, quod illi tributum est hocce decreto. Merito igitur *Ephemerides* huius anni, pag. 338, citatum referentes decretum, addiderunt: " hinc in decreto **3624**, ad VII, responsioni: *Negative*, suffice: *Affirmative*. „

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Benevento.* 1. *Q.* In Ephemeride *Il Monitore Ecclesiastico* huius anni (pag. 329, n. 70) habetur, quod octava Dedicationis Ecclesiae propriae, uti primaria, concurrens cum festo primario aequalis ritus, dividit Vesperas (1). Nonne aliter dicendum, vel saltem distinguendum?

(1) " Fa d' uopo distinguere in tal caso le chiese consecrate, dalle chiese solamente benedette. Le une e le altre devono celebrare la Dedicazione di tutte le chiese della diocesi; però tal festa per le consecrate è primaria, per le non consecrate è secondaria ..... Perciò in concorrenza con festa primaria di pari rito, *per le prime i vesperi saranno dimezzati*, per le seconde saranno della festa primaria con la commemorazione della Dedicazione di tutte le chiese. „

R. Octavae festorum Domini, si primaria et solemniora sint, in concursu cum quocumque alio festo cuiuscumque dignitatis, cedunt tantum festis I et II classis; ita rubrica post tabellam concurrentiae, n. 2. Talis vero declaratur Dedicatio Ecclesiae propriae, decreto n. **3881**, ad 1; adeoque eius octava, concurrens cum quocumque festo cuiuscumque dignitatis, ritus tamen duplici II classis inferioris, habet integras Vesperas. Quoad hoc igitur non recte docetur in adducta Ephemeride.

2. *Q.* In quodam Sanctuario privilegium adest legendi quotidie, etiam in Dominicis et festis, Missam votivam B. M. V. In Dominicis igitur et festis dici ne debent *Gloria* et *Credo?* Et in casu affirmativo, etiam tempore Adventus et Quadragesimae?

R. Missae votivae, nisi sint solemnes et *pro re gravi*, vel publica Ecclesiae causa, et nisi speciale indultum habeatur, nunquam habent *Gloria* et *Credo*, etsi in Dominicis et festis celebrentur. Ita decretum generale **3922**, III, 3. Specialis tamen dispositio habetur hoc in eodem decreto, V, 2, pro Missis votivis B. M. V., ob quam in sabbatis per annum, haud secluso Adventu, dicitur *Gloria;* sicut et infra Octavas eiusdem B. V., in quibus additur etiam *Credo.* Omnibus aliis diebus nec *Gloria* nec *Credo* dicendum.

II. *Pro Utino. Q.* In Kalendario a S. R. C. adprobato festum S. Iusti M. celebrandum edicitur die 3 Novembris in universa Archidioecesi, fitque de illo eadem die etiam ubi est Titularis, quamvis dies natalitia sit 2 Novembris, quod per recens decretum (1) sancitum est: post Decr. Gen. **3864**, II, sustineturne eiusmodi dispositio?

(1) **Utinen.** — Intra fines Archidioeceseos Utinen. nonnullae extant Ecclesiae sub titulo S. Iusti Mart., cuius Festum in universa Archidioecesi, sub ritu duplicis minoris, die tertia Novembris ex Apostolica concessione recolitur. Incidente in Dominicam, anno vertente, secunda die Novembris, Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum die insequenti peragitur. Hinc sequens Dubium R.mus Archiepiscopus

R. S. R. Congregatio potuit et voluit diem S. Iusti propriam in aliam immutare, forte ad uniformitatem in dioecesi servandam; hinc esto quod decretum generale dicat, duplex I classis celebrandum esse die 2 Novembris, et commemorationem defunctorum trasferendam, in casu tamen aliter se res habere debet, cum festum praedictum non habeatur amplius tamquam die 2 occurrens, sed die 3.

III. *Pro Budovico Bohemorum. Q.* Iuxta decretum 2 Maii 1900, ad 1, quibus indultum est tempore Adventus Missam vot. B. M. V. *Rorate* legere, non possunt die 7 Decembris Missam vigiliae Immaculatae Conceptionis celebrare, nisi occurrat ritus semiduplex. Quomodo igitur cum hoc decreto cohaerent, quae in *Ephemeridibus* huius anni dicuntur pag. 505, ad *b*?

R. Nihil ad rem cum decreto allato, quae habentur in his nostris Ephemeridibus loco citato: ibi enim agitur de *speciali* Missa, peculiaribus de causis concessa et quidem determinata: hic vero de Missa votiva generatim. Haec absque dubio regitur decreto generali **3922**, V, 1, *Immo etc.*, cum nulla exceptionis ratio adsit: ast non ita est de Missa *Rorate*, quae ad hoc specialiter est data, ut quotidie sacro

Utinen. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; videlicet: An in casu praefatae occurrentiae, die tertia Novembris, in Ecclesiis S. Iusti agendum sit de Festo eodem Titulari, in diem quartam translata Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum; vel potius transferendum sit in hanc quartam diem Festum Titulare, ut tertia die fiat enuntiata Commemoratio? " Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Substituti Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit: " Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. „ Et ita rescripsit et servari mandavit, die 22 Augusti 1890.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. VINCENTIO NUSSI, *Secr.*
IOANNES PONZI, *Substitutus.*

tempore Adventus, intercedente B. M. V., disponantur fideles ad digne suscipiendum Salvatorem. Non est igitur haec aliis Missis votivis de Beata Virgine adnumeranda.

IV. *Pro Ebroicis.* 1. *Q.* Pro Gallis festum Dedicationis Ecclesiarum estne primarium in Ecclesiis tantum solemniter benedictis?

R. Neque pro Gallis neque pro quibuscumque aliis festum Dedicationis Ecclesiae potest esse primarium si Ecclesia propria sit tantum benedicta. Quomodo fieri potest quod celebretur Dedicatio Ecclesiae, quae dedicata non est? Benedictio enim etsi solemnis, non est Dedicatio. Festum vero Dedicationis non est primarium, nisi pro Ecclesia propria, iuxta decretum n. **3881**. Quod si una die celebretur Dedicatio *omnium Ecclesiarum*, hoc ita intelligendum venit, ut una die omnes et singulae Ecclesiae celebrent festum propriae Dedicationis. Si vero aliqua Ecclesia non est consecrata, tum clerus illi addictus celebrat festum Dedicationis Ecclesiae principalis, nempe cathedralis etc.; quae tamen cum non sit vere Ecclesia propria, pro clero dioecesis vel Ordinis, illi non addicto, tale festum non uti primarium, sed uti secundarium celebrandum venit.

2. *Q.* In Missa cantata sine ministris et incensatione celebrans tenetur ne cruci facere reverentiam dum chorus respondet *Gloria tibi, Domine?*

R. Neque in casu, neque in Missa cum ministris ad dicta verba tenetur celebrans cruci reverentiam praestare, cum nullibi praescribatur; et rubrica determinate habet, quod cruci facere debeat reverentiam quando nominatur SS. nomen *Iesu*. Sed neque expositores aliud docent. Dubium forte exoritur ex eo quod caput inclinandum praecipitur ad *Gloria in excelsis Deo;* at hic, sicut et ad *Credo in unum Deum*, agitur de casu peculiari, pro quo rubrica specialiter in agendum praecipit, non autem de regula generali, quae habetur tantum in casibus in quibus *Iesus* nominatur.

3. *Q.* In festo B. Margaritae Alacoque, ex Missali, dicenda venit Missa *Dilexisti;* Graduale vero nostrum aliam indigitat: cuinam fidendum, cum nihil determinante habeatur in indulto?

R. Procul dubio, in silentio indulti, standum omnino Missali typico, et Missa in huius appendice relata legenda est.

4. *Q.* In festo S. Ioannis Baptistae de La Salle concessum nobis est officium et Missa propria: post Decretum 10 Febr. 1901, relinquere ne debemus dictum officium et Missam, aliudque accipere officium aliamque Missam, uti praecipitur in citato decreto?

R. Absque dubio si officium et Missa concessa sunt ante solemnem S. Ioannis Baptistae De La Salle canonizationem, relinquenda sunt et nova accipienda; cum priora tantum uti Beatum eum venerentur, et nunc iam uti sanctum colere oporteat. Si vero postea concessa sunt, tum, nisi aliter in decreto extensionis seu concessionis ad Ecclesiam universam decernatur, non videntur hoc ipso peculiares concessiones abrogari. Per decreta enim generalia, privilegia, concessiones et dispositiones speciales per se non *tolluntur*, nisi expresse decernatur, vel nisi omnino contraria sint statutis generalibus, vel haec ad hoc data sint: sed tum semper exprimitur.

Sunt tamen quaedam quae consideranda veniunt, praesertim in subiecta materia. Hinc si aliquod officium alicui concessum erat ritu inferiori, elevandum est ritu pro universa Ecclesia praescripto; at non e converso: item si aliqua specialis qualitas addita est: ex. gr. doctoris, vel martyris accipienda est; et tum etiam officium et Missam, cum difficillime aptari poterint priora: item si aliquid speciale additum est lectionibus, uti ex. gr. lectionibus Ss.mi Cordis Iesu, etc.

Hinc cum multae causae extent, ob quas generalis lex

supra exposita deficiat, ne quis periculo se exponat errandi, ne sub incerto et cum formidine agat, tutius est S. R. C. adire.

5. *Q.* Si duo festa I classis cum octava occurrant eodem die, potestne ac debet in die octava reponi festum transferendum? Videtur decretum **3853** rem in incerto relinquere.

R. Cum iuxta rubricas festa transferenda reponenda sint in primam diem non impeditam, si infra octavam dies occurrat libera, nempe non impedita ab alio festo novem lectionum, utique ibidem reponendum, et diebus sequentibus recolenda eius octava, saltem per commemorationem, sicut et in ipsa die octava. Quod si infra octavam nulla dies libera occurrat, tum non solum potest, sed debet in die octava reponi, cum decretum *transferendum esse* dicat, et alterius octava festi commemori tantummodo. Si enim haec octava duplici II classis occurrenti daret locum, quanto magis dare festo debet, cui cedere duplex II classis deberet, etiam in translatione, quod utique ex citato decreto **3853** esset faciendum. Ceterum vide Ephem. Liturg. huius anni, p. 572.

V. *Pro Albano.* 1. *Q.* Si infra Octavam Ascensionis occurrat festum praefatione propria gaudens in Missa, quaenam praefatio, octavae Ascensionis, an festi occurrentis, legenda venit?

R. Regula generalis edicit, in Missa legendam esse praefationem magis propriam, nempe quae Missae peculiari respondet; hinc e. g. tempore Quadragesimae, etsi habeatur praefatio propria, et in quacumque Missa festiva semper fiat commemoratio feriae, attamen in festis B. M. V. et Apostolorum, si occurrant, horum respective praefatio legitur. Ita et infra quascumque octavas, excepta octava Nativitatis Domini. Rubrica vero, quin a lege generali octavam Ascensionis excludat, aperte edicit, propriam, si occurrat, legendam (Vide Rubr. ante praefat. Ascens.).

2. *Q.* Festum S. Andreae Ap. occurrens in Dominica I Adventus reponi ne debet in feria secunda sequenti, tanquam in sede sua, amoto inde quocumque alio festo inferioris ritus, seu qualitatis vel dignitatis?

R. Nulla lex, nulla ratio hoc edicit, nullaque adest exceptio pro festo S. Andreae legi generali; ideoque iuxta Rubricas ad diem primam liberam amandandum.

VI. *Pro Hollandia.* S. R. C. Decreto n. **3863** in locis, ubi peculiaris Patronus non habetur, statuit sub ritu dupl. I classis cum Octava Patronum dioecesis a saeculari clero esse celebrandum. Ast decreto **1095**, iisdem in locis festum Patroni civitatis episcopalis celebrandum declaravit.

Quaeritur, an uterque Patronus, in locis ubi proprius non habetur, sit, et eodem ritu, celebrandus?

R. Generatim civitatis cathedralis seu episcopalis Patronus idem est ac Patronus Dioecesis. Hanc ob causam decreto **1095** Patroni civitatis episcopalis festum agendum edicitur, in locis ubi proprius non habetur loci Patronus; adeoque omnino cum generali decreto **3863** concordat. Cum enim Dioecesis et civitatis Patronus tanquam peculiares et locales Patroni considerentur, absque causa in locis ubi iam habetur proprius, darentur duo; immo cum civitatis Patronus hoc ipso sit localis non est extra fines loci celebrandus. Nisi igitur locus, qui speciali Patrono destituitur, intra civitatis territorium sit, huius non tenetur Patronum colere, sed Dioecesis tantum, cuius intra fines invenitur et ob hoc eius Patroni gaudet patrocinio.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

PRAENOTANDA.

" Nihil ferme fuit, ait cl.mus Gardellini *(Comment. in Instr. Clem. XI)*, quod si Romana Ecclesia in Dei cultum sibi unquam proposuerit, ceterae catholici orbis Ecclesiae ab ea non fuerint mutuatae, praesertim in iis, quae non locorum conditione, sed christianae pietatis virtute instituta esse videntur. „ Inde factum est, ut, ubi primum ab Ecclesia Romana, tum ad pietatem in divinissimum Sacramentum fovendam, tum ad divinam opem in Ecclesiae gravissimis necessitatibus implorandam, sancita et in actum deducta est pia saluberrimaque institutio Sacrosanctum Dominici Corporis Sacramentum publicae venerationi exponendi, in memoriam quadraginta horarum, quibus sanctissima Christi Anima in infimis terrae partibus, ut mortuorum animas solaretur, permansit, Corpus autem paulo minus in sepulcro quievit, eam imitandi desiderium pluribus aliis in Ecclesiis vivissimum exarserit.

Cum autem ad certam in diversis Urbis Ecclesiis tenendam methodum, eiusmodi Orationis occasione, plura, temporis decursu, prodierint edicta, necessarium tandem visum est, ea in unum colligere; atque ita, Summi Pontificis Clementis XI iussu, die 20 Ianuarii 1705, per GASPAREM,

miseratione divina Episcopum Sabinorum, S. R. E. Cardinalem DI CARPEGNA, *Vicarium Generalem,* quaedam data fuit INSTRUCTIO, quam noviter edendam praecepit Clemens XII, die 1 Septembris 1736, per PROSPERUM, *tituli S. Silvestri in Capite, S. R. E. Cardinalem* MAREFOSCHI, Urbis pariter tunc Vicarium. Huic porro Instructioni, etsi pro Urbe dumtaxat vim habeat legis, uti patet ex ipsius textus exordio, laudabiliter omnes extra urbem Ecclesiae conformari valent; quod declaravit S. Rituum Congregatio, die 12 Iulii 1749, dato decreto n. **2403**-*4203*, huius tenoris: " PATAVINA..... An Instructio pro Oratione quadraginta horarum, Romae, iussu felic. record. Clementis XI, primum edita, etiam extra Urbem servari possit et debeat? — S. R. C. respondit: Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare; laudandos tamen, qui se illi conformare studeant, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit. „ Imo eadem S. Cong.tio, die 9 Maii 1857, in *Cadurcen.*, n. **3049**-*5241*, ad IV, 1, edixit: " Inhaerendum, *quantum fieri potest,* Instructioni Clementinae. „ Et die 18 Martii 1899, in *Alatrina*, n. **4015**, ad V: " Expedit servare Instructionem Clementinam. „

Hinc corollaria: 1. Omnes et singulae Urbis Ecclesiae, quae ab E.mo Cardinali Vicario ad Orationem XL horarum peragendam designantur, sicuti nequeunt sese ab hoc onere eximere (" *Circolare* „ E.mi Urbis Vicarii, *19 April. 1891*), ita ad Instructionem adamussim servandam tenentur. 2. Locorum Ordinariis ius inest praefatam Instructionem iis Ecclesiis, quae ad Orationem XL horarum destinantur, imponendi, sive ex toto, sive ex parte, servatis semper et ubique iis, quae ceteris quoque in functionibus omnino servari debent; et, ad privilegia Indulgentiasque assequendas, salva Instructionis substantia. 3. Quando ab Ordinariis, data tantummodo functionis peragendae facultate, nihil ad rem statutum fuerit, *laudabiliter* quaecumque Ecclesiae se Instructioni conformabunt, sive ex toto, sive ex parte, ut supra.

Diximus, privilegia Indulgentiasque assequi non posse, nisi *salva Instructionis substantia;* etenim haec fuit semper mens Apostolicae Sedis; hinc, cum v. gr. Ss.mus D. N. Leo Pp. XIII, die 8 Decembris 1897, ex Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum, ad omnes Orbis Ecclesias easdem, quae Romae concessae sunt, Indulgentias extendere voluit, conditionem apposuit, ut expositio quadraginta horarum eadem ratione ac Romae perageretur *(nella stessa guisa che in Roma).*

Peculiaria Privilegia, Orationi XL horarum adnexa, sunt: 1°. Missam expositionis votivam solemnem *pro re gravi* canendi Ss.mi Eucharistiae Sacramenti propriam, cum aliqua tamen limitatione, de qua suo loco dicetur. 2°. Missam die medio votivam, item solemnem *pro re gravi*, pro Pace (seu aliam extra Urbem) celebrandi, cum limitatione, ut supra. 3°. Missam repositionis *coram Ss.mo exposito*, ut prima die, faciendi. 4°. Singula *Altaria Ecclesiae*, in qua fit expositio, hac perdurante, habendi ut *privilegiata*, uti ex concessione Pii Pp. VII, per E.mum Cardinalem Urbis Vicarium, die 10 Maii 1807, publicata.

Indulgentiae vero, quas olim, extra Urbem, Episcopi ab Apostolica Sede pro respectivis dioecesibus impetrare solebant, nunc vero, ut diximus, ad universum orbem extensae sunt, et animabus fidelium defunctorum applicari queunt, hae conceduntur: *Plenaria*, semel in triduo expositionis lucranda a visitantibus Ss.mum Sacramentum, impletis quoque conditionibus confessionis, communionis et precum ad intentionem Summi Pontificis. *Decem annorum et totidem quadragenarum*, toties quoties alia instituitur visitatio.

I. B. M. c. M.

(Continuabitur).

CONSULTATIO CANONICO-LITURGICA

Titius parochus, absque licentia Episcopi, ut morem gereret aliquibus devotis personis, in uno ex altaribus suae Ecclesiae tabulam secundariam (*sotto-quadro*) apposuit, B. Mariae, ut vocant, *Vallis pompeianae*. Exortis quaestionibus cum tabulae oblatoribus, qui ius proprietatis sibi servaverant, iussu Episcopi tabula ipsa remota fuit, aliaque B. Virginis a Rosario substituta.

Quaeritur: 1. Qua auctoritate tabulae secundariae collocari possint in altaribus, et qua auctoritate removeri?

2. An tabulae huiusmodi rebus immobilibus Ecclesiae accenseri debeant?

3. Quid iuris in casu?

Solutio.

Lex est a Concilio Tridentino lata, quod nulla imago exponatur in Ecclesiis nisi annuente Episcopo. (Sess. XV, *De Imaginibus*): . . . *Neminem licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam exempta ullam insolitam ponere, vel ponendam curare, imaginem nisi ab Episcopo probata fuerit.*

Reapse, sensus huius canonis, principaliter a Concilio subintellectus, hic fuit, ut ex contextu apparet, quod nulla sacra imago *insolita* exponatur in Ecclesiis; *insolita*, id est *prorsus nova* quoad formam, qua imago ipsa expressa fuit, ab usu communiter acceptu discrepans.

Primo ergo obtutu, videtur, non esse prohibendam imaginem quam ego in mea Ecclesia apposui, quando ipsa in omnibus similis sit aliae iam in tua Ecclesia ab Episcopo admissae; nihilominus, si diligentius rem observabimus, clare apparebit consensum Episcopi necessarium esse, etiam in casu, quo exponitur in Ecclesia aliqua imago, non *nova*, quoad formam, bene vero *nova* quia illa in Ecclesia nondum posita fuerat, etsi iam ab Episcopo adprobata in alia Ecclesia.

Quod facile probatur.

S. R. C. die 12 Maii 1877, suo decreto n. **3419**, ad I dubium: *An possit ab Ordinariis permitti, vel saltem tolerari, ut ad publicam fidelium venerationem exponantur in Ecclesiis imagines seu simulacra B. M. V. sub titulo* de Lourdes, *et* de la Salette, *nec non Immaculatae Conceptionis lucis radios e manibus emittentis?* Respondit: *Affirmative;* scilicet: ab Episcopis posse permitti, ut dictae imagines exponantur.

Item in alio decreto, die 12 Septembris 1857, n. *5251*, ad 28, sed in nova collectione n. **3059**, ad 24. *Num liceat exponere in Ecclesiis imaginem Cordis septi corona spinea cum cruce,* etc.

Respondit: *Ad episcopum, servata forma decretorum Concilii Tridentini, et S. M. Urbani Papae VIII.*

Hisce enim in casibus agebatur de imaginibus, *novis*, secundum quid, nempe ex recentibus apparitionibus, non vero *novis* ex novitate, quae aliquid contrarium habeat fidei et traditioni; notum est enim huiusmodi imagines, pluribus in locis, ab Episcopis acceptas fuisse.

Aliis verbis, cum S. R. Congregationi nota esset harum imaginum forma, si aliquid reprobandi in eis reprehendisset, procul dubio propositis dubiis respondisset: non posse permitti.

Ita egit in alio suo decreto 12 Maii 1877, n. **3420**, in quo, ad dubium: *An publicae venerationi, prouti in pluribus*

locis iam obtinet, exponi possint simulacra seu statuae D. N. I. C. suum Cor sacratissimum monstrantis B. Margaritae Alacoque ad ejus pedes provolutae? Respondit: *Negative.*

Ergo, si S. R. C. quando agitur de imaginibus insolitis, ideoque reprobandis, responsum suum dat explicite, inhibendo earum usum, et quando agitur de imaginibus admissis, rem tamen remittit Episcopis; dicendum est, quod probare contendimus, Episcopos audiendos esse omnino, quum aliquis imaginem sacram in altaribus exponere intendit.

Et bene per omne modum, hoc enim plane consonat cum legibus liturgicis, quarum vi Episcopus invigilare debet, ut cultus publicus recte exerceatur, et nil in eo obveniat, quod superstitionem sapiat, vel ridiculum aut indecorum, sed invigilare quoque debet, ne aliquid fiat in sacro cultu, quod turbare possit, vel disciplinam, vel bonum ordinem rerum, maxime quando pluribus in Ecclesiis unius civitatis aut loci eadem sacra imago induceretur.

Hinc liquido profluit Episcoporum esse, iudicare utrum talis imago, licet devotissima, et alibi iam admissa, convenienter exponi possit in tali Ecclesia.

Ad rem hic proferre placet auctoritatem Benedicti XIV, qui constitutione sua *Accepimus* d. d. 16 Iulii 1746, haec praescribit: *In altaribus praeter maiorem tabulam, quae vel depictam vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cuius nomen et memoriam altare consecratum est, adiungi coepit alia minor tabula cum effigie depicta vel incisa alterius Sancti, in loco ubi crux inter candelabra collocari debet, superaddito huic minori tabulae exiguo Crucifixo . . . . .*

Et paulo inferius: *Illud monendo superest, eam nobis mentem haud esse, ut imagines Sanctorum, quae maiori tabulae altari superadditae sunt, de medio afferatis* (Episcopi), *cum defuturi non essent invidi, qui, ut pietati vestrae maculam inurerent, in vulgum disseminarent, vos nullo duci religione in eum Sanctum, cuius imaginem fidelium venerationi subducitis.*

Quibus ex verbis satis patet, sapientem Pontificem, huiusmodi minores altarium tabulas tantum tollerasse, qui forsan reprobasset, ni admirationem et scandalum in populis timuisset.

Hinc clarissimus Aloisius Gardellini in sua nota ad decretum 31 Martii 1821, n. **2613** (*Nova Collectio, Vol. IV, pag. 204*), ait: " Mos collocandi parvas hasce tabulas in medio altarium invectus recenter est, et ab antiqua probataque Ecclesiae consuetudine alienus . . . . „ Et, postquam et ipse doctus liturgicus, citando Benedictum XIV, dixisset, esse tolerandas has tabulas, ob periculum pusillorum offensionis, sic prosequitur: " . . . addere nihilominus mihi liceat cauto opus esse, et quatenus velint minores hae tabulae in medio altarium collocari, tres conditiones omnino servandas proponam.

" Prima: ne privata auctoritate id fiat, sed Ordinarii intercedat adprobatio et licentia . . . . .

" Secunda: quod Episcopus non permittat imagines a se adprobatas exponi in altaribus, non praemissa earundem benedictionem . . . . .

" Tertia: tandem, ne in libertate et arbitrio relinquatur locus, in quo tabula erit collocanda, sed indulgens Episcopus, ut in altero ex Altaris gradibus ponatur simul conspectum Crucis non impediat . . . . . „

Quae inconvenientia et alia similia, certo certius pluries acciderent, si, ut verbis utamur eiusdem Gardellini. " Ecclesiarum Rectores arbitrio relinquerentur, eas, quas maluerint minores tabulas, etsi pias in altaribus collocari. „

Quam ob rem in casu proposito, nullimode poterat Titius, *absque licentia sui Episcopi* in altari opponere tabulam secundariam B. M. Pompeianae nuncupatae.

Plurimae etiam synodales leges dioecesanae, ad rem referri poterunt, sed duas solummodo adducimus. Synodus Bononiensi, a Card. Hugone Boncompagni coacta, anno 1698,

(*lib. 1. c. 7*) prohibet, imagines collocari in Ecclesiis, nisi prius Ordinarius illarum specimen saltem adprobaverit. Item in Synodo placentina, quam anno 1893 habuit Episcopus Io. B. Scalabrini, clarius iubetur (pag. 75 et 76): " Priusquam nova aliqua imago aut statua, licet devotissima et iam ab Episcopo pro aliis Ecclesiis adprobata, in aliqua Ecclesia collocetur, ab Episcopo ipso facultas obtinenda est, quam pariter concedemus, si res postulare videbitur. „ Et paulo inferius " . . . . . Imagines vero eiusdem Deiparae, sub novis invocationibus, ne facile admittantur in Ecclesiis, nisi prius re nobis significata. „

Idem legitur in Synodo papiensi ab Episcopo Riboldio, anno 1878 coacta (*pag. 228*). Itaque ad primam partem primae nostrae quaestionis respondendum est: Tabulae in altaribus collocari possunt, tantum auctoritate Episcopi.

Nunc procedamus ad secundam huius quaestionis partem: *Qua auctoritate removeri?*

Primo obtutu videtur respondendum esse, tabulas sacras ex altaribus esse removendas auctoritate tantum Episcopi. Equidem, cum imaginum remotio ab altaribus idem sit ac modificatio cultus publici, id nequit fieri nisi permissione Episcopi; nihilominus aliquando datur casus recurrendi ad summum pontificem pro remotione imaginum; et aliquando solus Ecclesiae rector id facere potest.

Quando enim removenda sit parva tabula, sanctum referens cui altare *ad modum fixi* dedicatum est, tunc, iuxta S. R. C. decretum, 27 Augusti 1836, n. **2753**, et aliud 11 Martii 1837, n. **2762**, non Episcopus, sed Apostolica sedes indultum concedere debet.

Nam in citato decreto, n. **2753**, ad 7, conceditur remotio magnae tabulae altaris consecrati, et collocatio aliae tabulae alterius Sancti, *dummodo iisdem in altaribus collocetur in ovali figura super gradus candelabrorum etiam imago illius Sancti sub cuius titulo constat Altare fuisse consecratum.*

Quamobrem remotio minoris tabulae, sancti Titularis, in cuius nomine altare fixum dedicatum est, nequit fieri, nisi auctoritate apostolica, per recursum ad S. R. C.

Tandem Ecclesiarum rectores removere tenentur tabulam quamcumque ab Ecclesia, quam proprio marte apposuerunt, inconsulto Episcopo, quod, enim contra legem actum est, semper a iure reprobatur; et qui iniuste egit, in quantum potest, ius reintegrare tenetur.

In casu autem, quod tabella in altari collocata iamdiu fuerit, absque licentia Ordinarii, forsan Parochus illam retinere poterit, quia supponitur Episcopum rem agnovisse, et saltem tacite adprobasse; vel requisitus hodie suam adprobationem praestaret.

Nunc ad secundum quaesitum: *An tabulae secundariae rebus immobilibus accenseri debent?*

Casus propositus explicite supponit, quod tabula B. Mariae pompeianae vocatae oblata fuerat a piis personis, ad usum Ecclesiae; *iure* tamen *proprietatis sibi reservato.* Quoniam vero haec reservatio rerum sacrarum non prohibetur in iure, et multis in locis habentur nobiles familiae, quae sacram suppellectilem Ecclesiis commodant, quin proprietatem cedant; ita in casu, tabulae oblatores, ius sibi proprietatis reservare bene poterant.

Cavalerius (*Vol. 1, c. 4, decr. 3, §. 13*), loquens de reliquiis Sanctorum insignibus, de quibus agendum est officium, dicit: " De reliquiis quae per notabile tempus aliqua in Ecclesia, ut quoddam depositum, commodatum, vel pignus asservantur, licet ad eam (Ecclesiam) nequaquam pertineat, officium duplex institui potest. "

Et P. Gobat (*Tr. 3, n. 696*), citat consuetudinem alicuius coenobii, in quo agebatur officium cuiusdam Sancti, quorum reliquiae insignes ad loci Principem pertinebant, et per *modum meri depositi,* adservabantur in Ecclesia illius coenobii.

Si igitur reliquiae et corpora Sanctorum, quae per se sacriores sunt quam eorum imagines, exponuntur in Ecclesiis, quin rebus immobilibus Ecclesiae ipsae accenseantur, tanto magis id dicendum erit pro tabulis pictis et rebus similibus, quae in proprietate remanent oblatoris.

Secundo ergo quaesito respondendum est, quod si oblatores tabulam donassent, procul dubio inter res Ecclesiae adnumerandae essent; cum autem explicite ius proprietatis sibi reservarint, patet, quod oblatoribus requirentibus tabula restituenda erit.

Restat tandem tertius quaesitus: *Quid iuris in casu?* Responsio liquido emanat ex dictis: Titius erravit collocando tabulam B. M. pompeianae nuncupatae in altari suae Ecclesiae, absque praevio consensu sui Episcopi; ipse ergo respondere debet de inconventibus omnibus, quae dicuntur in casu.

Episcopus autem iure suo usus est omnino, mandando, ut tabula removeretur ab Ecclesia, et suo muneri satisfecit, ideoque laudandus summopere est; et eo magis laudandus, quia nisi *littera*, certe *spiritu*, decretum executus est S. R. C. d. d. 24 Februarii 1890, n. **3723**, in quo; ad Quaestiones: I. *An liceat in Ecclesiis antiquae imagini B. V. M. de Rosario substituere imaginem pompeianam?* II. *An liceat in eodem altari immaginem parvam pompeianam supponere?* III. *An in praefatis Ecclesiis dedicare dictae Imagini pompeianae aliud altare?* IV. *An liceat saltem in aliquo loco earumdem Ecclesiarum imaginem pompeianam exponere?* Respondit: *Negative in omnibus.* Igitur in nostro casu bene Episcopus iussit removendam ab altari tabulam secundariam B. V. pompeianae, et ut populus devotioni suae faceret satis, aliam tabulam B. Virginem a Rosario antiqua forma referentem collocari mandavit. *Enimvero,* ut legitur in litteris circularibus, a S. R. C. datis die 20 Maii eiusdem anni 1890, n. **3732**, *quidquid sit de illo loco* (Vallis Pompeianorum) *ubi*

Ss. Virgo Maria huiusmodi cultu honestatur, et de beneficiis gratiisque singularibus, quas Deus fidelibus quibuslibet, eo accurrentibus, concedere dignetur; extra omne dubium est, effigiem illam in iis, quae minus praecipua sunt, si leves quasdam varietates excipias, Dei Matrem a Rosario pariter nuncupatam referre.

Ergo, recte egit Episcopus, et rite perrexit in munere suo.

Doct. Petrus Piacenza.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE NOVEMBRI PROPOSITAE

In Missa votiva privata vel solemni, sed non pro re gravi neque pro publica Ecclesiae causa, infra Octavam B. M. V. vel alicuius Sancti, quaenam erit tertia Oratio?

Solutio.

Quum tertia Oratio non eadem esse debeat in variis casibus, qui occurrere possunt, opportunum duximum respondere per partes.

I. In Missa votiva privata, si non adsit aliqua specialis commemoratio facienda, quae pertineat ad officium diei, lex Rubricarum *in casu* sic se habet: " In Missis votivis ..... dicuntur plures (orationes) ut in festis simplicibus. *(Tit. IX, n. 14).* " — Si vero ad simplicia recurro: " dicuntur, inquit eadem Rubrica, tres ut in semiduplicibus, aut quin-

que; possunt etiam dici septem, ad libitum, „ quin adhuc tamen Orationes nominatim designentur *(Tit. IX, n. 12)*. — Prosequor itaque et lego: " In festis semiduplicibus infra Octavam occurrentibus, secunda Oratio dicitur de Octava; tertia, quae secundo loco infra Octavam ponitur. *(Tit. IX, n. 7)*. „ — At nondum *teneo lupum auribus*, et de novo urgendum est ut finaliter attingatur.

Audi ergo pro coronide: " Infra alias Octavas (seponuntur enim Octavae Paschae et Pentecostes, quae duas tantum habent Orationes) dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de S. Maria, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. Sed infra Octavas S. Mariae... et infra Octavam omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu Sancto *Deus, qui corda*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa *(Tit. XI, n. 9)*. „

Unde pro solutione habes in casu: tertiam Orationem futuram esse infra Octavam alicuius Sancti, de S. Maria; et infra Octavam B. M V., de Spiritu Sancto.

Visne autem interrogare decreta? In eis quid scriptum est? " Orationes dicantur diei et tempori congruentes, etiam in Missa votiva de SS mo Sacramento. Quod si infra Octavam Missa votiva dicatur, secunda Oratio erit de Octava, tertia autem de Tempore (Dec gen *de Missis votivis*, 30 *Iunii 1896, n* **3922**, § *3, ad 3)*. „

At vero quid inibi sibi vult haec expressio: " tertia Oratio *de Tempore?* „ Facilis responsio est, quando seorsim inspiciuntur diversae Orationes, quae occurrere possunt in quacumque Missa. Vel sunt *speciales*, seu respondentes commemorationibus in Breviario factis; vel *communes*, seu addendae 2° et 3° loco, in defectu specialium, ad complendum numerum Orationum, quae obligant in determinatis Missis et assignantur iuxta diversitatem Temporum, sive Adventus, sive Quadragesimae, sive Paschatis, sive Octavarum; vel *extraordinariae*, seu praescriptae ultra Orationes de iure, per mandatum singulare in peculiaribus casibus, uti Expositionis

SS. Sacramenti, anniversarii Creationis et Coronationis Papae, etc; vel denique *votivae*, seu recitandae *ad libitum* in certis casibus, et prout ipsi celebranti placuerit, quia ideo ad hoc obligetur.

Porro, si consideras quaenam ex his notionibus quadret exacte cum Oratione de Tempore in decreto designata, non reperis nisi illam, quae pertinet ad Orationes *communes* in Titulo IX Rubricarum contentas et diversimode assignatas, prout Missa celebratur in Adventu, infra Octavas, aut alio tempore. Unde decretum generale hoc verbo tertiam Orationem futuram esse significat, sicut et Rubrica, de S. Maria infra Octavam alicuius Sancti, et infra Octavam B. M. V. de Spiritu Sancto. Res est adeo innegabilis, quod interrogata: " Anne in Missa votiva SS.mae Trinitatis infra aliquam Octavam B. M. V. tertia oratio dicenda sit de Spiritu Sancto? „ Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondit: " Affirmative *(6 Febr. 1892,* n. **3764**, *ad XII).* „

En prima nostra conclusio, quae valet etiamsi celebraretur Missa alia conventalis, quia de illa in casu nulla est habenda ratio, in quantum agitur dumtaxat de Missa votiva privata.

II. Si nunc Missa votiva adhuc privata celebretur infra dictas Octavas, et illa die sit aliqua alia commemoratio pertinens ad Officium diei facienda, tunc memorata commemoratio recitabitur 3° loco, minime autem Oratio de S. Maria aut Spiritu Sancto, ut supra. Iuxta enim alteram Rubricam " commemorationes in Missis fiunt sicut in Officio *(Tit. VIII, n. 1);* „ et signanter Missae votivae privatae dicendae sunt " cum commemoratione eius, de quo factum est Officium, et commemoratione item festi simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in Officio *(Tit. IV, n. 3).* „

Quapropter lex, quae assignat tertiam Orationem de Tempore, non intelligi debet nisi deficiente in casu qualibet huiuscemodi commemoratione. „

III. Quoad Missam votivam solemnem, sed non pro re gravi neque publica Ecclesiae causa, sic iubet et statuit decretum generale iam citatum:

" In ecclesiis, quae ad Missam conventualem tenentur, si Missa votiva solemnis ex causa non gravi vel ex fundatione celebretur, nunquam omittatur Missa conventualis de die. Tunc vero in Missa votiva fieri non debet commemoratio festi, de quo Missa conventualis celebrata fuit (n. **3922**, § *4, ad 2*) „; et exinde necessario sequitur, Orationes non solum 3° loco, sed 2° loco etiam, recitari debere de Tempore. Hoc iam declararat S. R. C. die *13 Iunii 1671*, n. **1421**, *ad 2*, et *16 Febr. 1737*, n. **2327**, *ad 3*.

" In ceteris vero ecclesiis, si de festo currenti prius alia Missa celebrata non fuerit, in Missa votiva addantur tam Oratio diei quam aliae occurrentes (n. **3922**, § *4, ad 2*): „ unde e contrario, si celebratur, etiam in ecclesiis non conventualibus, alia Missa de festo currenti, contextus pariter insinuat, in Missa votiva solemni dicendas esse Orationes de Tempore, et 3°, et etiam 2° loco.

Haec est sententia, quam profitemur, et consonam Rubricis et decretis putamus, salvo tamen, ut de more, meliori iudicio.

A. Fourneret
Acad. Liturg. Rom. Censor
Parochus loci vulgo dicti Lannes (dioecesis Lingonen.).

Quaestio solvenda pro mense Ianuario 1902.

Ladislao, nefariae adscripto massonicae sectae, plurimisque innodato censuris, in singulari certamine ita pergrave infligitur vulnus, ut suprema instaret hora. Parochus vocatus festinus accedit, at videns morientem sensibus plane destitutum et notum propter pessimam vitam, noluit eum absolvere; imo aperte dicit negandam ei esse ecclesiasticam sepulturam. At accipiens postea a quibusdam fide dignis, morientem poenitentiae dedisse signa, absolvit, et imo rogatus, comiter acceptans, totus incumbit exequiis faciendis, quarum pars magna fuit illa nefaria secta, quae suo vexillo interfuit sacro, quo finito, illius coriphaeus funebrem habuit in Ecclesia orationem, et deinde Parochus dedit absolutionem ad tumulum. Hinc quaeritur :

1° *Quinam priventur sepultura ecclesiastica, et quid agendum si ea denegata imminent damna?*

2° *Quaenam vexilla admitti liceat in Ecclesia et quaenam leges tum canonicae tum civiles et poenales?*

3° *Quid facere oporteat Rectorem Ecclesiae, si vexilla per vim introducta fuerint, et quid celebrans agere debeat?*

4° *Quid de Parochi agendi ratione?*

Sac. **Leonardus Margiotta-Zema** proposuit.

APPENDIX

DE ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

IN CORPORE ET ANIMA PER ANGELOS IN COELUM RECEPTAE QUATENUS AB ECCLESIA IN PROXIMO DEFINIRI POSSIT

Disquisitio theologico-critico-liturgica.

Prologus.

Tandem aliquando, post triginta et amplius annorum expectationem, post unum et alterum tentamen, spes nobis inopinato effulget, fore ut Ecclesia catholica, aut quod est probabilius, Summus Pontifex, et utinam Leo XIII, definiat tamquam de fide Assumptionem corpoream Beatae Mariae Virginis. Gaudium erit coram Angelis Dei super novissima hac gloria eorum Reginae, quam ad coelum ascendentem comitati sunt infinito tripudio. Gaudium pariter erit in universa terra catholica, quia semper Maria in omni terra stetit, et in omni populo, et in omni gente primatum habuit. Gaudium in Italia, in qua Ecclesiae cathedrales et non cathedrales, quamplurimae titulo Assumptionis decoratae fuerunt. Gaudium in Gallia christiana, quae a Ludovico XIII, die 10 febr. a. 1638, sub patrocinio Virginis posita fuit cum tota regali familia, cuius actus testimonium publicum et perpetuum esse debuit quotannis processio in die Assumptionis. Gaudium maximum in Hungaria catholica, cuius rex et apostolus beatissimus Stephanus, ob suam devotionem erga Virginem in die Assumptionis eius vocatus fuit ad coelum; qui dies ab Hungaris Magnae Dominae vocatur. Et sic de aliis populis.

Gaudium pariter erit in Ordine Sancti Benedicti, quia duo illustres benedictini, scilicet Aloisius Vaccarius, olim parochus in Basilica Ostiensi, postea Episcopus Synopes et coadiutor Tropiae et Nicoterae in Calabria, et Benedictus Dusmet Archiepiscopus Catanensis, primi promotores fuerunt postulationis ad Concilium Vaticanum, quae ab Episcopis fere ducentis subscripta fuit. Gaudium pariter erit in Ordine Sancti Dominici; Assumptio enim et gloriosissima Virginis in coelo coronatio sunt mysteria ultima Sanctissimi Rosarii. Huius ordinis ornamentum et decus fuit beatus Hyacinthus, qui in ipso Assumptionis die sanctam animam Deo reddidit. Gaudium non secus erit in Ordine Servorum Mariae, cuius Septem Fundatores et Patres in die suae Assumptionis a Beata Virgine visitati sunt. Gaudium in Ordine Sancti Francisci, qui post festum Assumptionis diem, incepit ieiunium in honorem Sancti Michaelis Archangeli, quo perdurante, Sacrorum Stigmatum impressionem accepit. Cuius Ordinis ornamentum maximum est Beatus Antonius, qui dicitur in die Assumptionis in lucem venisse, et negantibus hanc Mariae gloriam firmiter obstitisse. Et gaudium erit in universa Societate Iesu, cuius patres primi una cum beatissimo Fundatore, Parisiis, in Monte Martyrum, numero novem, sub auspiciis Mariae in coelum Assumptae, die 19 augusti a. 1534, voto se Deo manciparunt. Quorum inter filios quasi stellae pulcherrimae lucent angelici iuvenes Stanislaus et Aloisius, ex quibus unus ad Societatem Iesu et alter ad coelum in die Assumptionis vocati sunt. Gaudium erit et in Congregatione Missionis, quae diu quotannis in eodem festo die se consecrat et mancipat Beatae Mariae Virgini. Gaudium pariter erit inter membra illustris Societatis, quae in Galliis ab Assumptione nomen accepit. Et sic de aliis ordinibus.

Et si Deus concesserit, quod beatissimus Papa Leo XIII, cuius nomen ad annos amandabitur venturos tamquam Pontificis Sancti Rosarii, tantam et tandiu suspiratam defini-

tionem proferat, hoc honore maximo a Deo dignatus, exultabit laetitia inenarrabili et glorificata. Coaevi autemet posteri instituere poterunt comparationem inter Leonem et alium antiquum Pontificem Ioachimum, qui et ipse magnis precibus indictis in populo Dei, sive suis litteris encyclicis, sive voce cursim visitans omnem terram Israel (Iud. IV, 5-11), tandem Bethuliam venit, et Iudith, post gloriosissimum facinus, publice benedixit dicens: " Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri: ideo eris benedicta in aeternum (Ibid. XV, 10-11) „.

Tandem in sepulchro Tropiensi [illegible]issimi et eruditissimi viri Aloisii Vaccarii exultabunt ossa humiliata; humiliata certe: iterata enim vice felicem occasionem sibi abreptam ingemuit promovendi novam et ab eo desideratissimam gloriam Beatae Mariae Virginis in coelum assumptae. Sed adhuc superest suum eruditissimum opus, quod auctum et emendatum inter cetera eiusdem generis est facile princeps, et cuius tertia desideratur editio. Supersunt postulationes ducentorum fere Episcoporum in Concilio Vaticano sedentium. Superest et eius intimus amicus in labore et aerumna socius, qui haec scribit. Dum autem haec atramento in charta signat, et amicum charissimum stantem prope thronum Mariae salutat, lacrymae erumpunt ab oculis, non sine spe dulcissima, optatam nos posse tandem contingere metam.

Exultabunt etiam cum Eminentissimo Cardinali Casimiro Gennari duo mei amici, scilicet clarus theologus Ioseph Provitera, strenuus gloriae Mariae defensor, et advocatus Bartholomaeus Longo, quasi novus Dominicus in apostolatu Sanctissimi Rosarii.

In re tam difficili et tam salebrosa opus est ut scribam methodo scholastica, non vero soluta oratione. Tunc ratiocinatio procedet perspicua, praecisa, efficax.

§ I.

STATUS QUAESTIONIS.

Circa Assumptionem Mariae duo fieri possunt interrogationes:

Interrogatio prima: Maria Virgo fuit-ne in corpore et anima per Angelos in coelum recepta?

Interrogatio secunda: Assumptio Mariae Virginis fuit-ne Ecclesiae a Deo quomodolibet revelata?

Quisque videt hasce duas interrogationes seu questiones in immensum differre: potuit enim Mariae gloriosa transmigratio esse vera, et non esse a Deo revelata. Harum autem duarum quaestionum confusio non paucos fefellit, quasi totum opus theologorum consistat in evincenda veritate Assumptionis, de qua nemo dubitat.

Respondere primae interrogationi in praesentiarum post tot editos libros est summe facile. Respondere autem secundae interrogationi est summe difficile. Si autem aliquis ob felicitatem ingenii et studium prolixius, habeat ut facilem etiam secundam quaestionem, Deus illum benedicat.

Disquisitio ergo nostra non respicit Assumptionem Mariae, sed eius definibilitatem per Ecclesiam aut Summum Pontificem, utpote a Deo revelatam.

§ II.

INTRA QUOS FINES CIRCUMSCRIBITUR ECCLESIAE DOCTRINA IPSI A DEO REVELATA

Dominus noster Iesus Christus praedicans Evangelium regni dicebat aperte: " Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me (Ioann. VII, 16): Et ego quae audivi ab eo

(*Patre*) hoc loquor in mundo: - Qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi ab eo (Ibid. VIII, 26,40) „. Dixit etiam Apostolis in ultima Coena: " Et sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me, Patris (Ibid. XIV, 24)„. Et iterum: Omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis (Ibid. XV, 15). „ Quod autem fuit summe verum de Iesu Christo, multo magis debuit esse maxime verum de Ecclesia, quae a Filio Dei missa fuit, sicut Filius a Patre. Ecclesia igitur, cum habuerit a Sponso divino doctrinam in perpetuum et universaliter praedicandam, fines talis doctrinae praetergredi nullo modo potest. Unde ex. gr. de legibus lucis et caloris, et de motibus solis et lunae nullum habuit mandatum.

Hoc sensu intelligenda videntur verba Iesu Christi: " Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus (Matth. XXIII, 10): „ scilicet in Ecclesia universa nemo docet, nisi Iesus Christus, nullo iota addito aut apice dempto. Unde Tertullianus in cap. 6 *Praescript.* scribebat: " Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt: sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt „. Ioannes autem, nomine aliorum Apostolorum loquens, in sua prima epistola dicit: " Quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis (I, 1). „

Unde doctrina Assumptionis, si est definibilis, emanare quomodocumque debet a Christi doctrina.

§ III.

TRIPLEX FUNDAMENTUM DEFINITIONIS DOGMATICAE.

Tria autem sunt fundamenta definitionis dogmaticae. Fundamentum primum est Sacra Scriptura, in qua et per quam ipse Deus loquitur hominibus. Quidquid reperimus annuntiatum nobis in Sacris Scripturis est a Deo revelatum.

Cum autem in hoc sacro libro plura sint incerta et occulta, de quorum sensu et genuinitate disputari possit, et doctores absque numero circa fidem naufragaverint, sensum verborum quadam plausibilitate pervertentes, sic S. Scriptura, quatenus ab Ecclesia interpretata, est regula fidei et fons omnigenae definitionis. Exemplum habe in illis verbis Iesu Christi ad Petrum, ex quibus facile colligitur plenitudo maxima suae pontificiae potestatis: " Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis (Matth. XVI, 19). " Cum autem Iesus Christus eisdem pene verbis locutus sit ad ceteros Apostolos: " Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo (ibid. XVIII, 18) ", impossibile esset absque interpretatione Ecclesiae cognoscere discrimen maximum inter duas potestates. Pariter illa verba ad Petrum, quibus Christus Dominus illi promisit infallibilitatem in fide: " Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (Luc. XXII, 32) ": sic explicantur ab Ecclesia, ut non tantum ad Petrum *conversum*, sed et ad omnes successores suos fuerint directa. Ecclesia pariter explicat sensum verborum: " Ut non deficiat fides tua ", quatenus significent magisterium infallibilem in rebus fidei, et non individualem lapsum.

Secundum fundamentum definitionis dogmaticae est traditio oralis ab Apostolis nobis transmissa, sicut ex. gr. circa numerum Sacramentorum. De hac traditione theologi quamplurimi longe lateque pertractarunt. Nobis sufficiunt verba Divi Pauli in 2ª ad Thessal.: " Tenete traditiones, quas didicistis " (II, 14). Traditiones autem evidentius quam ipsa Scriptura opus habent, ut ab infallibili auctoritate Ecclesiae discernantur et ratae habeantur. Pseudotraditiones ementitae, apocryphae, fucum facientes, etiam piae, sed falsae, fuerunt innumerae; ut facillime accidere potuit.

Tertium fundamentum sunt ipsa principalia mysteria nostrae religionis, quae cum sint certo certius a Deo revelata, implicant revelationem eorum, quae ab illis evidenter et necessario effluunt. Exemplum habeas in mysterio ineffabili divinae Eucharistiae, circa quod multa affirmat et canit Doctor Angelicus in suo hymno *Lauda Sion*. Plura ibi sunt, quae, cum explicent fidem Ecclesiae in hoc Sacramento, dogmatice definiri possent: uti ex. gr. " Fracto demum Sacramento, - Ne vacilles, sed memento, - Tantum esse sub fragmento - Quantum toto tegitur ". Haec indivisibilitas corporis Christi in pane consecrato est de essentia Sacramenti nobis a Deo revelati. Et etiam in hac parte sanctam Ecclesiam consulere oportet. Quod enim quibusdam corollarium mysteriorum fidei videri potest, ab aliis non existimabitur tale. Inde dubia et disceptationes, et oppositiones falsi nominis scientiae.

§ IV.

CONSECTARIUM FUNDAMENTALE.

Unde etiamsi fundamentum et ratio dogmaticae definitionis sit triplex, in effectu tamen sive agatur de Scriptura, sive de traditione, sive de mysteriis nostrae religionis, auctoritas Ecclesiae docentis, declarantis et interpretantis intervenire semper debet. Augustinus enim tantum credebat ipsi Evangelio, quantum de eo edocebatur ab Ecclesia; et ideo non per Evangelium credebat Ecclesiae, sed per Ecclesiam credebat Evangelio. Unde nos nec Sacrae Scripturae, nec ipsi traditioni crederemus, nisi nos Ecclesiae solidasset auctoritas. Quod Divus Paulus expressit illis verbis ad Timotheum: " Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (1. Tim. III, 15). "

Quapropter principale opus nostrum in hac qualicumque disquisitione esse debebit quaerere duo: 1. Quid a saeculis credat et doceat Ecclesia circa Assumptionem corpoream Beatae Mariae Virginis? 2. Quare, scilicet, quibusnam rationibus et argumentis hanc fidem ut certam et infallibilem professa sit? Mihi autem videtur absolute impossibile aliam tutiorem et convenientiorem indicare viam ad solvendum problema summe arduum, seu ad dirimendam quaestionem: Utrum Assumptio Mariae revelata fuerit Ecclesiae?

§ V.

SILENTIUM SACRAE SCRIPTURAE CIRCA ASSUMPTIONEM MARIAE.

Sacra Scriptura sicut nihil absolute dicit de nativitate et morte Mariae, sic nihil testatur de eius Assumptione. Hoc est summe evidens. Audi Divum Thomam (in 3 part. quaest. 27, art. 1): " Sicut tamen Augustinus in Sermone de Assumptione ipsius Virginis *(supposititio)* rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in caelum, *quod tamen Scriptura non tradit*, ita etiam etc. „ Haec autem evidentissima Divi Thomae sententia confirmatur a Francisco Suarez his verbis: " Sententiam Assumptionis in corpore et anima in caelum non esse de fide, quia neque est ab Ecclesia definita, neque est testimonium Scripturae, aut sufficiens traditio, quae infallibilem faciat fidem; tamen summae temeritatis reus crederetur, qui tam piam religiosamque sententiam hodie impugnaret (in 3 part. quaest. 27, art. 4, dist. XXV, sect. 2.) „. Quae verba citat et approbat Benedictus XIV in suo Opere, *De Festis etc.*, ad diem 15 aug. cap. VII, § 2.

Unde perperam Ambrosius Catherinus in suo Opere contra Cardinalem Caietanum (lib. 4.) Assumptionem Mariae

tanquam de fide defendit, testimoniis adductis de Sacra Scriptura, quae nihil probant.

Etiam Ecclesiae Doctor Divus Alphonsus in suo Opere *Le Glorie di Maria,* in Oratione VIII pro Festo Assumptionis nullam sententiam adducit ex Sacra Scriptura ad confirmandam fidem in tantum Mariae privilegium, ut quisque videre potest. Unde bene P. Canisius in suo lib. 5 de Deipara Virgine c. 5 dissentientes ab Assumptione in errorem sacris Litteris adversantem non impingere dicit.

§ VI.

QUID DE HAC RE SCRIPSERIT ALOISIUS VACCARI.

Illustris Episcopus Synopensis in secunda editione aucta et emendata sui eruditissimi Operis *De B. V. Mariae morte et resurrectione* etc., a pag. 247 ad 292, patientia vere benedictina, quamplurima collegit testimonia doctorum et piorum scriptorum ad demonstrandam hanc thesim:

" *Beatae Mariae Virginis corporea Assumptio iuxta; Patrum sacrorumque interpretum mentem in utriusque Testamenti libris sublucet* „.

Haec autem simplex *sublucentia* iam indicat longe abesse illam lucem revelationis, quam unice quaerimus. Et revera, ex gr. Maria, secundum pios scriptores, in sacris paginis figuratur in stella, in luce, in sole, in coelo. Atqui stellae, lux, sol et coelum sunt res incorruptibiles, ergo innuunt per se incorruptionem corporis Mariae et eius Assumptionem in coelum. Quisque facile videt in hoc ratiocinandi modo nihil lucere et sublucere. Incorruptibilitas enim stellarum, solis et lunae est ad minus valde disputabilis, imo aperte est impugnata in ipsis Sacris Scripturis. Quid de caelo dicit Psalmista a Divo Paulo citato? En eius verba: " Opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis

eos, et mutabuntur (Psalm. 101. - Hebr. I, 10, 11, 12). „. Apud physicos autem et astronomos huius generis demonstratio est maxime visibilis.

Prosequitur pius auctor patientissime comitari sacros scriptores, qui ex ligno vitae in paradiso terrestri, ex rubo Moysis, ex duplici arca tam Noe quam Foederis, sic argumentantur, quasi hae vetustissimae figurae innuant Assumptionem et immortalitatem Mariae. Sic pariter relucet Assumptio in Heva, in Iudith, in Bethsabee et Esther. Sed ipse Aloisius Vaccarius vim demit hisce demonstrationibus scribens: " Hae autem demonstrationes, candide lector, quibus utuntur etiam Pater Remigius Busellius, et Pater Augustinus Lana, alibi laudati, accipiendae sunt in sensu latissimo. (pag. 272) „.

Et quod gravius est, auctor in initio citati capitis septimi (pag. 247), antequam futilem, a quibusdam tentatam, demonstrationem adducat ex sole et luna et stellis coeli, aperte scribit: " Sane quidem cum nullis egeat fucatis adminiculis fulciri veritas, neque ad illam constabiliendam dubia vel labantia, saltem opus sit momenta rationis aucupari, aperte dicimus, quam defendimus sententiam: *neque sensu litterali, vel proprio vel improprio, neque mystico in divinis codicibus a Spiritu Sancto ullo modo fuisse expressam.*

Unde inter Aloisium Vaccarium et me, sui Operis editorem et laudatorem, nullum dissidium circa silentium Sacrae Scripturae in re de qua agimus esse potest.

§ VII.

NIHIL ERUI POTEST EX MIRABILI SANCTI IOANNIS VISIONE.

Scribit Apostolus et Propheta Ioannes incipiendo caput 12 suae sanctae Apocalypsis: " Et signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et

in capite eius corona stellarum duodecim „. Quam plurimi patres, doctores et interpretes hanc visionem magnam applicarunt Beatissimae Virgini, non inficiantes tamen et alium potuisse habere sensum. Et revera alium habere debuit. Multa enim prophetantur a Ioanne de hac muliere, quae absurde applicarentur Matri Dei, a multis annis iam in caelum assumptae.

In hac autem visione sicut in ceteris aliis, Iesus Christus per Angelum suum manifestabat futura. Dictum enim est ei: " Ascende huc, et ostendam tibi quae oportet fieri post haec (Ibid. IV, 1). „ Futurum enim erat ut haec mulier (*Ecclesia*) doloribus partus cruciaretur, a serpentis facie fugeret, et absconderetur in deserto diebus mille ducentis sexaginta (XII, 6), quae omnia non per laudem, sed per sacrilegam irrisionem gloriosissimae Virgini quis applicare audebit tanquam illi futura.

Unde Cornelius a Lapide, etsi totus sit ut videat Virginem Mariam in hac muliere, secure scribit. " Quapropter dico cum Ambrosio, Ticonio, Primasio, Andrea Caesariensi, Haymone, Richardo, Beda et Methodio, quem citat Aretas, per mulierem hanc intelligi Ecclesiam, maxime quae erit in fine mundi: de ea enim hic continuus est sermo, ut dixi etc. „

In hac mirabili Spiritus Sancti manifestatione Ioannes propheta certe non vidit corpus gloriosum Virginis Mariae, sed vidit corpus mulieris proximae partui et cruciatae a magnis doloribus, propter quos alte lamentabatur. Corpus mulieris illius adhuc alimentis egebat, quae data illi fuerunt per multos menses. Non vidit ergo Ioannes Mariam in coelum assumptam.

Stat ergo silentium Sacrae Scripturae a Divo Thoma, a Francisco Suarez, a Canisio et a Benedicto XIV testatum.

§ VIII.

SILENTIUM SCRIPTURAE IN SACRA LITURGIA.

Dato autem et non concesso quod revera in paginis veteris, sive novi Testamenti revelaverit Deus Assumptionem Mariae, certum est et evidens hanc revelationem fugisse mentem Ecclesiae, sicut Divi Thomae et Francisci Suarez etc. Irrefragabile habemus testimonium in sacra liturgia, ut ab eius examine facile patebit. Ecclesia etenim in Missa et Officio Assumptionis, in quibus quotannis suam mentem aperit circa hanc Mariae gloriam, nullo verbo aut sententia utitur scripturali, in qua Spiritus Sanctus talem indicet gloriam, et multo minus visione S. Ioannis.

§ IX.

IN PRIMIS VESPERIS SOLEMNITATIS.

En quinque antiphonae, quae cantantur in Vesperis:

" Assumpta est Maria in coelum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

" Maria Virgo assumpta est ad aethereum thalamum, in quo rex regum stellato sedet solio.

" In odorem unguentorum tuorum currimus: adolescentulae dilexerunt te nimis.

" Benedicta, filia, tu a Domino, quia per te fructum vitae communicavimus.

" Pulchra es, et decora, filia Ierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata ".

In duabus primis Ecclesia suam fidem exprimit in Assumptionem Mariae. In tertia, quae dicuntur de Sponso in Cantico Canticorum applicantur ad Mariam. In quarta ce-

lebratur maternitas B. M. Virginis: in quinta eius pulchritudo et potentia.

In capitulo: " In omnibus requiem quaesivi „ etc. nihil est quod nec per accomodationem applicari possit Mariae.

Antiphona ad *Magnificat* haec est: " Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans? Filia Sion, tota formosa, et suavis es, pulcra ut luna, electa ut sol. „ Haec verba reperiuntur in Cantico Canticorum, in quo iuxta doctores celebrantur etiam gloriae Mariae. At nullam habent relationem cum Assumptione, quia statim sponsa dicit; " *Descendi* in hortum meum, ut viderem poma convallium (Cant. VI, 10), „ Non ergo agitur de sponsa in coelum ascendente, sed potius descendente.

§ X.

MATUTINUM SOLEMNITATIS.

In Matutino sunt tres antiphonae propriae in primo nocturno:

" Exaltata est sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum ad coelestia regna.

" Paradisi portae per te nobis apertae sunt, quae hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

" Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui „.

Prima et secunda antiphona exprimit fidem in Assumptionem, et tertia est salutatio Elisabeth ad Mariam.

Lectiones scripturales primi nocturni sunt communes et aliis solemnitatibus B. M. Virginis, uti in eius Nativitate; unde tantam habent relationem cum Assumptione quantam cum Nativitate. Quisque potest eas legere in Breviario Romano. Sumptae sunt autem ex libro *Cantici Canticorum* cap. I: " Osculetur me etc. „

Quaerendum igitur est: num Ecclesia haec verba Canticorum applicet vero sensu Mariae Virgini, aut sensu mere accomodatitio, sicut applicat eidem Virgini elogia divinae Sapientiae. Respondeo dicendum, quod personae principales in hoc epithalamio in sensu litterali sunt Salomon, et eius uxor, et in sensu allegorico vel mystico sunt sponsus coelestis Christus, et eius sponsa Ecclesia, aut anima spiritualis. Maria autem cum non sit sponsa Iesu Christi, sed Mater, et cum haec maternitas in libro Canticorum nunquam indicetur, impossibile est quod in sensu proprio verba huius libri applicentur Mariae Virgini. Unde Cornelius a Lapide exponens varios sensus huius libri, statuit applicationem ad Christum et Ecclesiam esse *totalem et adaequatam,* ad Christum, et animam esse litteralem et partialem; et ad tertium locum amandat applicationem ad Christum et Virginem, etsi vocet eam principalem.

Et revera Pius Papa IX, in sua Bulla *Ineffabilis*, pro dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis, nullum aut fere nullum verbum aut sententiam adducit ex Cantico Canticorum, quod est satis mirandum, cum in eo legantur nota verba: " Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (IV, 7) „ quae plane dissimulat. Haec dicit tantum de Patribus: " Hunc eximium singularemque Virginis triumphum.... Patres viderunt.... tum in illa inexpugnabili turre a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium (Cant. IV, 4), tum in horto illo concluso, qui nescit violari, neque corrumpi (Ibid. 12) „ et pauca alia in ore patrum inventa.

Multa autem sunt in libro Canticorum, quae absurde quis auserit applicare Mariae; ex. gr. "Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. (I, 5). „ Quaenam autem est vinea credita Mariae, et quam ipsa non custodivit? Similiter sponsa lamentatur amissionem et absconsionem dilecti sui: " Quaevisi et non inveni illum, vocavi,

et non respondit mihi (V. 6) „. Hoc ne umquam accidere potuit Mariae? Neque dicas eam per tres dies, amissum filium quaesisse dolentem, quia sponsa inventa a custodibus circumeuntibus civitatem percussa, vulnerata et spoliata fuit, quod Mariae non accidit.

Ceterum, dato etiam quod Spiritus Sanctus locutus sit de Maria in tribus relatis lectionibus, nihil ibi reperies quod ad Assumptionem in coelum applicari possit. Evidentissime haec sponsa, de qua loquitur Canticum Canticorum, sive sit Ecclesia, sive sit anima Christo desponsata, sive sit Maria, figuratur in statu viae, non in statu gloriae. In hoc statu beatissimo sponsa dicere non posset, uti habetur in lectionibus: " Nigra sum sed formosa, filiae Ierusalem etc. Nolite considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol, etc. „ Nec quaerere opus habet, ut indicetur illi ubi pascat sponsus, et ubi cubet in meridie, ne vagari incipiat post gregem sodalium eius. Haec cum Maria in caelum assumpta inconciliabilia prorsus sunt.

Quoad responsoria, in primo nocturno tantum, sunt propria. In primo: " Vidi speciosam sicut columbam etc. „ In secundo: " Sicut cedrus exaltata sum in Libano etc. „ Et in tertio: " Quae est ista, quae procedit etc. „ In his sicut in antiphona ad *Benedictus*, non reperimus, nisi scripturales imagines Beatae Mariae Virgini accomodatas.

§ XI.

MISSA DE VIGILIA ET DE SOLEMNITATE.

Duas habemus Missas in missali Romano pro solemnitate Assumptionis, unam de Vigilia et aliam de Festo. In Missa de Vigilia nulla fit mentio Assumptionis, nisi in oratione secreta: " Munera nostra, Domine, apud clementiam

tuam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de praesenti saeculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. „

Introitus sumitur ex Psalmo *Eructavit:* " Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis etc. „ *Epistola* est elogium sapientiae in Ecclesiastico (24), quod est commune et aliis Missis de B. Maria. *Graduale* nihil indicat de Assumptione: " Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, etc. „ *Evangelium*: " Loquente Iesu etc. „ est commune festis B. Mariae Virginis. *Offertorium*: " Beata es, Virgo Maria „, et *Communio*: " Beata viscera etc. „ nihil de Assumptione dicunt.

Quoad Missam festi *introitus* est: Gaudeamns omnes, cum Psalmo *Eructavit*. *Epistola* sicut et illa vigiliae est ex cap. 24 Ecclesiastici. *Graduale:* " Propter veritatem et mansuetudinem etc. Audi, filia, et vide etc. Assumpta est Maria etc. „ Evangelium incipit: " Intravit Iesus in quoddam castellum etc. „ *Offertorium:* " Assumpta est Maria etc. „ *Communio:* " Optimam partem elegit sibi Maria etc. „

In toto ergo Officio Assumptionis, et in duabus Missis solemnitatis nullam invenimus sententiam scripturalem, in qua Deus revelaverit Assumptionem Beatae Mariae Virginis. Fundamentum igitur fidei et doctrinae Ecclesiae in Assumptione aliunde quaerendum est. Primus fons definitionis, scilicet Sacra Scriptura, omnino ergo deficit.

Hisce non obstantibus, temperamentum aliquod cum doctoribus reperiemus, manente tamen rigore sententiae D. Thomae, Suaresii et aliorum. ANASTASIUS.

IMPRIMATUR
P. Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

PROPRIETAS LITERARIA.

G. B. AGNOLUCCI, *gerente responsabile.*

Roma. 1901. — Scuola Tipografica " Tata Giovanni „ *Piazza del Biscione, 95.*